





GEORGII CHEYNÆI,

Medicinæ Doctoris

Col. Reg. Med. Edinb. & Soc. Reg. Lond. Soc.

TRACTATUS
DE INFIRMORUM SANITATE TUENDA, VITAQUE PRODUCENDA;

Libro ejuſdem argumenti anglicè edito longè auctior & limatior.

Cum ejuſdem Tractatu de natura fibræ ejuſque laxæ ſive reſolutæ morbis.

Acceſſit huic editioni CLIFTONI WINTERINGHAM Commentarium Noſologicum.

PARISIIS,

apud G. CAVELIER, Patrem viâ Jacobeâ, ſub Signo Lilii Aurei.

M. DCC. XLII.

Cum Approbatione, & Privilegio Regis.

Ἀσκήσις Ὑγιείης Ἀκορίη Τροφῆς, Ἀοκνίη Πόνων. Hipp.

Νήπιοι ἐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ. Hesiod.

At imbecillis (quo in numero magna pars Urbanorum omnesque penè cupidi Litterarum sunt) observatio major necessaria est : ut quod vel corporis, vel loci, vel studii ratio detrahit, cura restituat.
Cels.

VIRO ADMODUM HONORABILI

JOSEPHO JEKYLL,

EQUITI AURATO,

ARCHIVORUM REGIORUM Custodi fidissimo, æqui bonique arbitro integerrimo, humani generis amantissimo; hunc Tractatum, observantiæ & gratitudinis suæ monimentum,

D. D. D.

Georgius Cheynæus.



PRÆFATIO.

IN hujus operis editionibus quæ Anglicanâ Linguâ prodierunt lectores monui, id amplissimi viri, archivorum custodis, cujus nomen in fronte præfert, jussu susceptum, ejus unius ut usibus inserviret, eumque commoneret quâ ratione inter arduà multipliciaque & laboris plenà quæ illi Reipublicæ causâ sunt obeunda munera sanitatem, quantum res pateretur, firmam tueri posset, primò scriptum fuisse, ejus deinde rogatu editum, eumque in finem auctum, itàque immutatum fuisse ut pro illis quæ privatim unius ejus commodis prospicerent, hîc illîc regulæ latioris usus substituerentur, quo pluribus prodesse posset quod vir humani generis amantissimus senserat sibi profuisse.

Cui beneficentissimi viri desiderio ego, & libenter, obsecutus sum. Non defuere tamen qui, operis utilitatem elevare cu-

pientes, generalia præcepta de ſanitate tuendâ nulli privatim eſſe profutura affirmaverint, neque quidquam ſalutare his de rebus proferri poſſe niſi quod uniuſcujuſque ſingularis hominis propriæque ejus conſtitutionis habitâ ratione eſſet prolatum. Quaſi vero ejuſdem regionis incolis, ejuſdem indolis aërem ſpirantibus, eâdem victûs ratione, iiſdem corporis exercitationibus, iiſdem oblectamentis animi utentibus, quibuſque totus vitæ color nequaquam diſſimilis ſit (ut Britannis, quorum præcipuè cauſâ, hic tractatus eſt editus) immò verò & toti hominum, quâ patet, generi, plurima non eſſent communia quorum cautus legitimuſque uſus maximi eſt ad ſanitatem ſive conſervandam ſive inclinatam erigendam momenti; eaque curioſâ obſervatione & ſagaci ratiocinio deprehendi non poſſent, deque iis ejuſmodi generalis doctrina tradi quam haud magno labore propriis quiſque ſuis uſibus accommodare poterit. Quod & fieri poſſe crediderunt & factum exhibuerunt omnes inſtitutionum medicarum Scriptores ab Hippocratis ad noſtra uſque tempora, pluriſque item alii qui hoc ſpeciatim noſtri operis argumentum, ante nos, tractarunt. Aiunt præterea, proprio cujuſque morbi genio ita propriam ſuam & peculiarem curationis methodum eſſe accommo-

dandam, ut ſupervacanea ſint omnia generalia & communia, de iiſdem præcepta. Anne vero? Remiſſa & laxata fibrarum corporis tenſio, viſcoſuſque humorum lentor & ex his nata ſegnior eorundem circuitio & hujus proles acor & acrimonia, annon omnibus morbis diuturnis communia ſunt? Temperantéſne & ſobrii & corporis exercitandi ſtudioſi his malis carebunt; an iiſdem æque ac ignavi homines gulæque dediti obnoxii erunt? Morbo diuturno jam laborantibus nihilne in idoneâ corporis exercitatione & temperantiâ præſidii erit; an continuatâ ingluvie & deſidiâ, novi ſcilicet fomitis appoſitione, æquâ felicitate morbus extinguetur ac ejus ſubtractione? Nihil ægrotanti aut ægrotaturo proderit ſalubri noxium aërem commutare? Nihilne rectè ordinata ſomni & vigiliæ, quietis motûſque tempora & modus, nihil corporis implendi & evacuandi legitima ratio, nihil animi affectuum moderamen ſanitati aut conſervandæ aut redintegrandæ conducent? Annon infirmis, literarum ſtudio deſidentibus, & ſedentariam quâcunque de causâ vitam agentibus, communis eſt fibrarum laxitas & humorum lentor aut etiam acrimonia? Quorum præcipuè causâ vel ex Anglici tractatûs proœmio vel ex ipſo opere boni hi viri reſcire potuiſſent hæc mea

monita edita fuisse. Et quæ pessimè affectis profutura esse ostendi, an mitius laborantibus inutilia erunt? Insuper audacter affirmo vix quidquam majoris momenti in singularibus morbis utiliter præcipi, quod ex præceptis meis generalibus deduci nequeat.

Alii sunt quibus generalia præcepta, de conservandâ sanitate non displicent; sed quos magnus scilicet incessit metus ne homines œconomiæ animalis fabricæque corporis humani imperiti in iis sibi suisque propriis usibus accommodandis periculosè errent. At hi postquam me præterquam de aëre salubri eligendo, de nutrimento salubri temperanter ingerendo, somno tempestivè capiendo, corporis exercitatione legitimè obeundâ, & evacuatione ad naturæ modum temperandâ, animique affectibus moderandis nihil quidquam præcepisse; duasque, nec plures, medicamentorum formulas scripsisse, earumque adhibendarum rationem plenè cautèque docuisse; cum hæc, inquam, secum reputaverint; eo, credo, se metu eximent. Nequaquam enim accuratâ fabricæ corporis notitiâ opus est ut instructus accedat qui hujusmodi præcepta in privatum usum convertere voluerit: neque insignis alicujus erroris in iis adhibendis periculum imminet. Ea enim,

ſi diſtinctè, plenè & dilucidè proponantur, quivis de plebe vir mediocris prudentiæ æque intelliget inque uſum ſuum æquâ felicitate arripiet, ac vel pertiſſimus Medicus. Imò, in ſanitate regendâ inque morbis cùm præcavendis tùm abigendis, cauſarum generalium & obviarum, manifeſtarumque & ſenſibilium qualitatum quàm ſubtiliter & ingeniosè circa corporis fabricam humorumque ejus indolem & compoſitionem exquiſitorum quibus induſtrii ſolerteſque viri philoſophiam magis excoluerunt quàm rem medicam juverunt, majorem habendam eſſe rationem, facilè agnoſcent qui philoſophiam uſumque medendi penitiſſimè callent.

Aliis denique videor multa eſculentorum & potulentorum genera improbaſſe quæ viris prudentibus & expertis deprehenſa ſint non tantum innocua, ſed & iis quæ ego laudavi præſtantiora. His reſpondeo, nihil quidquam me docuiſſe aut faciendum, aut fugiendum niſi quod ex diutinâ & iteratâ obſervatione morbis diuturnis conſumptorum (ex quibus ſolis tuta hâc in re experimenta capiuntur) didicerim; Imò, hâc unâ ratione adductum aliquid præcepiſſe, quod experientiâ edoctus utile illud & tutum deprehenderim, phœnomenôn deinceps cauſas quàm potui maximè pro-

babiles ex ſcientiâ naturali eâque præcipuè ejus parte quæ corporis humani fabricam & vires exquirit collegiſſe: nullam autem praxeos regulam ex mero ſoloque ratiocinio deductam propoſuiſſe: Verbo, regulas tradidiſſe generales quæ longè pluribus convenirent; quæ enim paucis aliquot extra communem naturæ ordinem propria & peculiaria ſunt, hujus operis non eſt recenſere aut reſpicere. Sed ut pleniùs huic objectioni reſpondeam: 1. Robuſtis, firmis, & integrâ ſanitate hominibus non aliam de nutrimenti delectu regulam propono aut proponendam eſſe cenſeo quam quæ à Divo Paulo aliâ occaſione tradita eſt; Quicquid, nempe, apponitur, ex eo comedito, nec ſollicitè inquirito. Unum tantùm illi curent, ut temperanter edant &, ſi quid errent, in tutiorem ſaltem partem errent, & quod æquo minus quàm quod nimium eſt potiùs uſurpent. 2. Quibus corporis inſigni robore propter laborioſum vitæ inſtitutum opus eſt, iis valentiora cibi potûſque genera ex animalium carnibus & liquoribus ſpirituoſis deſumpta quodammodo neceſſaria ſunt: His enim vires magnis laboribus exantlandis neceſſariæ ſufficiuntur, eaque viciſſim laborioſa corporis exercitatio ſatis domat comminuitque, & è corpore per ſudoris vias eliminat, quo

fit ut, nec mole ſuâ nec deleteriâ vi ut corpori noceant ſatis amplum illis temporis ſpatium concedatur: Magnæ inſuper per cutis poros factæ humorum abſumptioni neceſſe eſt ut materia plenâ etiam nutrimenti ingeſtione ſuppeditetur. At minùs exercitatis vitamque ſedentariam agentibus, eòque infirmis, fibrarumque remiſſarum laxitate laborantibus, quibuſque non corporis robore ſed animi viribus, ingeniique lumine, imperturbato cerebro, fibriſque expeditis nec inutili ſuperfluorum humorum pondere prægravatis ad intellectûs munera obeunda opus eſt, quibus denique à dolore immunibus eſſe ſatis eſt, & voluptatum exquiſitarum titillatione carere, dummodo & acerbas ſimul quibus ea ſolis redimitur pœnas effugiant, uſque adeo miſerandum non videtur; His victus tenuis, parcus, mitis, fibrarumque, etiam infirmarum, viribus facilè reſolubilis, neceſſarius eſt: & his ego ſolis ſequentia tractatûs noſtri præcepta commendo. Imò, quamdiu quiſquam conſuetum pleriſque hominibus morem ſequi, atque interim ſic ſatis commodè degere, & quamdiu illi in medicamentis quidquam præſidii ſupereſt, nullam ego illi peculiarem aut quæ à receptâ vulgatâque conſuetudine in diverſum abeat victûs rationem ſuadeo. Poſtquam verò Me-

dici morbum ejus immedicabilem pronuntiârunt, nihilque jam à medicamentis auxilii ſpondent: Non antè omnem omninò ſpem ponat conſulo, quam & hæc noſtra circa victum præcepta, an quid lætius promittunt expertus fuerit. Et verè quidem ſanctèque affirmo vix quenquam mihi contigiſſe videre qui, illa accuratè obfirmatoque animo ſecutus, non aut integræ ſanitati redditus ſit, aut vitam ſaltem anteà miſeram & vix tolerari dignam jam tolerabilem &, quamdiu in arcto tramite perrexerit nec voluptatum lenocinio in devium actus ſit, ſic ſatis commodam effecerit. Hæc in pleriſque cujuſcunque generis morbis diuturnis, omnibuſque inflammatoriis (ſi modo æger nondùm penitùs fractus aut ſenio confectus quamdiu aliquid etiamnum virium ſupereſſet medelam aggreſſus fuerit) arthritidè puta (inflammatione nempe periodicâ) rheumatiſmo calido, eryſipelate, ophthalmiâ, pleuritide, peripneumoniâ, hepatis, veſicæ, uterique inflammationibus, in univerſis denique nervorum, qui vocantur, morbis proſunt. 3. Illud pernego, ex hominum integrâ firmâque ſanitate fruentium, aut parùm modò ab eâ deficientium experientiâ mearum circa victûs delectum regularum veritatem ex æquo bonoque æſtimari poſſe. Non ini-

quiùs aurificum ac Pharmacopæorum delicatis trutinulis ingentes mercatorum bilances centupondiis expendendis factas substituas. Natura quidem ita artifice manu corpora nostra fabricavit, ejusque fibras adeo elasticas & distractiles construxit, secretionisque organa tam commodè aptavit levioribus oneribus rejiciendis, ut minùs gravia circa victum errata non statim luamus, nec nisi frequenter repetitis hujusmodi erroribus fibræ ita debilitantur ut quovis vel minimo excessu prægraventur, sive copiâ peccetur sive valentiore cibo aut potione. Hujusmodi ego subtilibus trutinulis multos jam annos ciborum & potionum, momenta & pondera curiosè expendo; nec aliundè quàm ex istâ observatione collectas circa victum regulas trado. 4. Denique nutrimenti infirmis inepti indolem non ex eo solo æstimo quod ventriculi viribus difficulter in chylum resolvatur; Sed præterea, & quidem præcipuè ex iis quibus, postquam ex intestinis elapsum est, damnis corpori nocet, dum humores aut incrassat aut inflammat, exilesque fibras tenuesque canaliculos aut erodit & disrumpit aut infarcit & obstruit eòque morborum, quâ acutorum quâ diuturnorum fundamenta jacit, verbo, salibus (præcipuè urinosis) similibusque concretis duris

& deleteriis corporis habitum replet, futurorum ita morborum ſemina congerens & accumulans.

Hinc quaſi manu ducor ut de ſalium naturâ, generalia quædam adferam quibus illuſtrentur quæ paſſim in ſcriptis meis Medicis de eorum in corpore animato effectibus trado.

Cum videam aquam, lac, oleum, alioſque liquores aqueos, blandos, lenes, per animalium canales, tuboſque ex animalium exuviis factos, multos annos, iiſdem illæſis, fluere poſſe; cùm acetum, è contra, muria, ſpiritus ſive inflammabiles ſive urinoſi, & aqua fortis brevi eoſdem erodant & excedant: cùmque arthritidis & calculi dolores acutos, lancinantes, erodentes intueor, quarundam inflammationum comitem acrem & corroſivum ardorem hincque natas veſiculas, & quæ omnes ſubſequitur cuticulæ deſquammationem; cum mecum reputo morborum plerorumque acutorum criſin fieri aut ſudore rancido fœtidoque, aut urinâ craſsâ, lateritiâ & lixiviosâ, alvi fœcibus nigris, viſcidis, putridis, aut lividis purpureiſve maculis, puſtulis, ulceribus, apoſtematis artuum articulorumve, aut necroſi hujus aut illius membri; Ichoremmuriaticum, ulcera erodentia, porriginem, deſquammationem, ſcabiemque

quæ ſcorbutum, ſcrophulam, venereos, cutaneoſque morbos comitantur; Cùm fluores ſalinos & gypſeos, calculos, aliaque concreta dura perpendo quæ doloribus arthriticis, nephriticis, ictericis, colicis jam olim laborantes excernunt; Quæque aliis in morbis deprehenduntur viſcerum obſtructiones & induratos nodos, in aliis excreta ſalſa muriatica, oſſium cariem, ligamentorum corruptam putredinem, & quæ pleriſque in morbis viſuntur causticæ & deleteriæ cujuſdam materiæ ſigna & effectus: Hæc, inquam, dum mecum reputo, interimque adverto hujuſmodi morbos ſæpiùs graviùſque cadere in ſuperioris ſortis homines, in eos qui liberrimè ſibi carnis potûſque ſpirituoſi uſum pro appetitûs aviditate & capacitate ventriculi indulgent, qui cibo potuque ſapidiſſimo, imò acri, delectantur, in luxurioſos & deſides, aut ex his natos quanquam patrum quidem veſtigia minùs preſſè legentes, cùm ex Philoſophorum, præcipuè Chymicorum, experimentis manifeſtum ſit hujuſmodi cibum potumque ſalibus, præcipuèque volatilibus & urinoſis ſulphureque his conjuncto & quod horum compoſitionem ingreditur, abundare, quibus quidem ſolis gratum ſuum & pungentem ſaporem debent: Cùm denique evidenter pateat omnium quæ cor-

pus humanum ingrediuntur & morborum causæ fieri poſſunt reliqua præter cibum potumque ne vel decimam partem conficere. Iſta omnia aliaque multa quæ diutina morborum quibus miſerum genus humanum affligitur obſervatio ſuggerit, quæ tamen brevitatis ſtudium, hîc omittere cogit, cùm animo recolo interque ſe confero; Non poſſum non inde colligere particulas quaſdam duras, aculeatas, facilè concreſcentes, quas nutrimenta præcipuè in corpus invexerunt, longè longèque maximam materiæ morbificæ partem conſtituere. Has autem particulas ſalium nomine intelligo, cum ſalia nunquam non earum partem aliquam & quidem præcipuam conficiant, eaſque morborum cauſas generaliores, maximèque obvias & manifeſtas eſſe exiſtimo. Facile eſt viro phyſicâ & mathematicâ ſcientiâ inſtructo, etiam praxeos medicæ minùs perito, ex ingenioſis hypotheſibus ſubtilibuſque ſuis cogitatis ſyſtema quoddam Medicum, tanquam araneæ telam contexere; Neque ego hujuſmodi ingenii luſibus omnino ineptus videbor aut earum rerum ignorantiâ aliò deductus, illis qui novam meam febrium theoriam legerint, quam admodum juvenis ſcripſi. Ex eo autem tramite ipſa me experientia deduxit aut potius abripuit. Et verò nec ingenuum virum,

aucupandæ ex ingenio gloriolæ causâ, hæc celare veritatemque obnubilare, nec fidum Medicum, emenso jam quinquaginta annorum stadio, istuc ætatis aut suam & suorum aut quorumvis ægrorum salutem hujusmodi theoreticis quisquiliis concredere, aut ejus sive conservandæ sive redintegrandæ fundamenta ullâ in re ponere præterquam in fidâ & repetitâ experientia & observatione. Quibus congruere mihi videntur causæ morborum plerorumque à me jamjam assignatæ.

Jam salis atque etiam sulphuris (quod est luminis omnibus corporibus mistis irretiti & implicati vehiculum) compositionem & insigniores proprietates paulò explicatiùs tradere neque injucundum erit neque hujus tractatûs lectoribus inutile.

Salis nomine vulgaris loquendi consuetudo indicat corpus quoddam durum & fragile, in aquâ solubile, & cùm solutum est, gustûs organa sapore suo validè afficiens, evaporatâ autem magnâ aquæ parte in figuras regulares concrescens planis superficiebus terminatas & pellucidas, quas salium crystallos vocamus. Has sal marinum sive gemmeum cubicas exhibet, vitriolum rhomboideas, nitrum prismaticas hexagonas, aliæque salis species alias.

Ex terræ visceribus effoditur sal gem-

meum; idem aquâ maris dilutum ex eâdem denuò inſigni copiâ excoquitur. Vitriolum, alumen, ut & ſulphur vulgare, ex unâ eâdemque minerâ educuntur. Ex omnibus plantis ſalem elicimus, quam illæ ex terrâ hauſerunt; nam nulla ferè terræ gleba invenitur quæ ſalem in ſe non contineat. Animalium etiam quæ ſcilicet plantas depaſcunt, humores ſale ſcatent.

Nullus autem horum ſalium ita ſimplex eſt quin ignis vi reſolvi poſſit in partes minùs compoſitas. Hæ cum nullâ ignis ope ulteriùs reſolvi poſſunt, in aquâ tamen ſolubiles eſſe perſtant, eòque ſalium nomen retinent.

Priores ſales, compoſiti, concreti, ſalſi, medii vocantur, poſteriores ſimpliciores ſunt, & quaſi principia ex quibus priores coaluerunt.

Ex omni ſale foſſili diſtillato, poſt aqueum quendam vaporem pleriſque corporibus communem, educitur humor acidus, qui ignis vi ſursùm fertur & ex vapore in liquorem frigore condenſatur. In vaſis fundo manet corpus ſiccum acris ſaporis, quod ſi in aquam ferventem conjicias, altera ejus pars inſipida ac terrea fundum petit, alteram aqua combibit; quæ ſi evaporetur, reſtat pulvis acrioris quàm prior ſaporis, cui ſi affundas humorem acidum priùs

eductum, eundem ſalem quem jam in partes ſolveras ex hâc eorum mixtione renaſci conſpicies.

Acidus humor qui vi ignis in ſublime fertur eòque volatilis dicitur, ſalem acidum continet, qui ab aquâ cui permiſtus eſt nullâ arte ſeparari poteſt, niſi eum liquorem affundas acri pulveri qui ignis viribus reſiſtens in fundo vaſis reſtitit eòque fixus dicitur, aut terræ alicui abſorbenti. Cum horum enim quovis in maſſam ſalinam concreſcit evaporatâ aquâ. Pulvis ille acris ſaporis & fixus, ſal alcalinus vocatur; & terræ abſorbentes ſalem acidum eâdem de causâ alcalinæ dicuntur. Subſtantia enim alcalina eſt quæ acidum ſalem combibit.

Acidi igitur ſalis particularum figuræ oculis conſpici nequeunt. Sed eorum effectibus, quibus omnia alcalina corpora penetrant, dividunt, & nonnunquam in particulas minimas diſſolvunt, maximè convenire videtur figura acutiſſimis angulis donata, qualis præcipuè eſt, tetraëdra quatuor triangul s æquilateris terminata.

Non tamen videtur ſal acidum ab alcalino ita ſeparari poſſe ignis vi, quin aliquam ejus partem non contemnendam ſecum in auras evehat, partemque invicem ſui inſignem cum terrâ alcalinâ intimè miſtam in fundo vaſis relinquat, cujus

reſpectu illius terræ portio aliqua ſalis nomen retinet dum reliqua, acido penitùs orbata capitis mortui & terræ damnatæ nomen apud Chymicos adſciſcit.

Ex hâc alcalinæ ſive terreæ ſubſtantiæ cum acido miſturâ pendere videtur diverſitatis nonnihil quod inter acida ex variis ſalibus concretis educta intercedit: dum aliud acidum, ſalis ſcilicet marini, aurum intacto argento; aliud, nempe nitri acidum, intacto auro argentum, eorum autem utrumvis ferrum, æs, mercurium ſolvit.

Iſta alcalinarum aliquot partium cum acido commiſtio rectè ſatis colligi videtur ex eo quod diverſa acida eidem alcalinæ ſubſtantiæ commiſta diverſos ſales concretos, & ſui quemque generis, efforment. Cum ſale enim tartari acidum vitrioli vitriolum, nitri nitrum, ſalis marini ſal marinum conficit.

Idem, è contra, acidum cum diverſis ſubſtantiis alcalinis in cryſtallos diverſæ figuræ concreſcit ut tartarus ſpiritu nitri ſolutus in cryſtallos teretes; æs eodem ſpiritu ſolutum in priſmaticas hexagonas; Ferrum in quadrata irregularia; Argentum in tenues lamellas coït.

Ex quibus colligitur ſalium concretorum figuras diverſas a terræ ſive ſubſtantiæ alca-

linæ variis figuris cum ſimplici acidorum figurâ combinatis provenire, cùm ipſorum acidorum aliqualis differentia ex alcalinâ ſubſtantiâ illis conjunctâ pendere videatur, ut ſuprà monuimus.

Acidum ex totâ recentiorum obſervationum ſerie videtur per univerſam undique terram (quatenùs ſaltem nos fodiendo pertingimus) diſperſum eſſe, ibique terræ macræ, bitumini aut cuivis ſulphuri, aquæ denique ſe intimè unire. Variis enim in locis huic aut illi jam dictarum ſubſtantiarum immiſtum deprehenditur.

Omni ſali foſſili adhæret ſulphuris aliquid, de cujus igitur naturâ & origine nonnihil dicendum videtur. Ingeniosè, me judice, ſagaciſſimus Hombergius ſubodoratus ſulphur purum non aliud eſſe quam luminis materiam. Neutoni quidem obſervatio, quamcunque ſciz. materiam ſulphuream lumen quâvis non ſulphureâ validiùs pro denſitatis ſuæ ratione refringere, avidiùs combibere, eoque intenſiùs incaleſcere; & communis omnium hominum obſervatio, ſolam ſulphuream materiam ignis pabulum eſſe, maximam ſulphuris & luminis affinitatem monſtrant. At Hombergius experimentis oſtendit auri ſaltem & argenti ſulphur non aliud eſſe quàm merum lumen, cum ex mercurio igne diu ex-

cocto hæc metalla confecerit nullâ re ei admistâ præter meras particulas igneas.

Idem ille expertissimus Chymicus quodvis aliarum substantiarum sulphur resolvit in aquam multam, terræque & salis pauxillum. Tali enim vehiculo lumen gaudere videtur, illudque sibi efformare in plerisque omnibus corporibus mistis.

Hoc sulphur cùm, fermentatione priùs attenuatum, postea in sublime fertur & dein frigore concrescit, fit spiritus inflammabilis; si salibus ferè orbatum ascendat; sin salibus fœtum, fit spiritus urinosus: quorum utervis, cùm maximam ignearum particularum vim sibi arctissimè conjunctam retineat, humores facilè inflammat, fibrasque stimulat & adurit.

Imò universale illud acidum (cùm sulphuri se facillimè uniat illudque avidè amplectatur; & cum eo vel in resinam concrescat vel in fumum & flammam abeat, prout utrumque purius est aut impurius, & prout lentiùs aut præcipitantiùs commiscentur; facilè in aqua solvatur; Terræque ita intimè unitum deprehendatur ut difficulter, nec unquam penitùs, ab eâdem separetur; causticâ denique suâ vi lumen inclusum prodat; nec unquam sulphure in totum orbatum conspiciatur) videtur non longè diversæ à sulphure naturæ esse; &

fortè ex iiſdem principiis diversâ proportione miſtis conflatur; in eo ſciz. Terra magis abundat, ut aqua in ſulphure. Salis certè marini ſive gemmei, omnium ſalium maxime terrei, acidum, cujus ſulphur puriſſimum eſt & metallico ſulphure proximum, unum ex omnibus acidis aurum, ſimpliciſſimum etiam metallum, ſolvit.

Ex terrâ igitur, mercurio, aquâ & lumine omnia terreſtria corpora compoſita eſſe videntur; cum præter terram, mercurium, aquam, ſalem, & ſulphur nihil aliud ex corporum diſſolutione emergat; Sal autem & ſulphur ex aquâ, terrâ & lumine, conflata videantur. Ex his lumen vix à motu ceſſat, aqua & mercurius maxime mobilia ſunt, luminiſque actioni facilè obſequuntur. Terra autem eidem actioni validè obnititur, nec, niſi lumini intimè unita, mobilis fit. Et experimentis deprehendimus terram maximæ ignis noſtri culinaris vi reſiſtere nec in ſublime ferri; acidum autem facilè in auras aſcendere, ſulphur autem longè faciliùs, propter majorem ſciz. Aquæ, mobilioris elementi, quantitatem ejus quam acidi compoſitionem ingredientem. Hac etiam de cauſa fieri videtur quod quævis corpora, imò ſal alcalinum fixum, ſulphuri intimè unita volatilia fiant Et volatiles quidem ſales, urinoſi ſunt, hoc eſt, oleo-
ſ...

fœtido permisti: & hos volatiles urinosos si fixis salibus sui generis admisceas, utrique sublimantur in salem volatilem concretum.

Salem ex terra plantæ hauriunt, qui dum per eorum vasa circulatur magnâ sui parte mutatur & in nitrosum abit. Nitrum enim ex solis plantarum & animalium iisdem vescentium partibus, denuò terræ commistis, elicitur.

Plantas animalia devorant, & in nutrimentum suum vertunt, in iis omnis sal, præter marinum, eorum insigni calore oleique sive sulphuris animalis intimâ admistione in volatilem urinosum mutatur. Ex animalium enim partibus educitur sal ammoniacum, hoc est, volatile urinosum sali marino conjunctum.

Cùm igitur animalis vitæ actione sales concreti plantarum in volatiles urinosos abeant, salisque volatilis copia ex hoc fonte ducta, satis sit omnibus animalis usibus; ea certè animalia quæ aliis animalibus liberrimè vescuntur ex iisque multum salem volatilem jam factum hauriunt, aut quæ ex liquoribus fermentatis ejusdem salis quantitate insigni humores suos imbuunt, nimio sale volatili abundabunt; ex cujus redundantiâ quæ quantaque mala sequantur suprà indicavimus. Infirmis igitur, quorum

rum fibræ tenues facilè actione ſalis urinoſi eroduntur, conveniunt ea nutrimenta quæ non nimium volatilis ſalis in ſe continent. Talia autem ſunt plantæ aut animalium juniorum carnes; quæ ego omnibus vitam ſanam agere volentibus infirmis, ut optima alimenta commendo. Omnibus autem ſedentariis actionis defectu & fibræ infirmæ ſunt, & humores ſtagnationi proximi; unde fit ut ſales facilè in majores moleculas concreſcant & humoribus quadantenùs putreſcentibus, corroſivi evadant. Eadem etiam alimenta hominibus morbo quovis inflammatorio laborantibus convenire facile eſt perſpicere.

Imò, ſi verum eſt, ut vero non abſimile videtur, humores corporis animalis ſani ante mortem aut ſaltem putrefactionem quibus ſales in alcalinos & corroſivos mutantur, nec manifeſtè acidos eſſe nec alcalinos; certè, nec acidi nec alcalini ſales, ſed ſoli concreti intra corpus admittendi videntur, niſi corrigendi in alterutram partem exceſsûs causâ id fiat. Et ſi ſedentariis humores ad aciditatem proclives ſint, meliùs id vitium debitâ corporis actione corrigitur quàm alcalini ſalis ingeſtione; eo enim non magis humores reſolvuntur & attenuantur, quàm fibræ eroduntur & deteruntur.

Non equidem credo eodem penitùs modo rem tranſigi in corporibus animalium Aliquo in Chymicorum furnis tranſigitur; Aliquo tamen modo illi analogo peragi non dubitandum eſt. Sales enim tam intra, quàm extra animalium corpora eâdem attractivâ vi pollent, eodemque impetu diverſa eorum genera, cùm commiſcentur, ſe mutuò amplectuntur. Certè igitur ſtagnante aut tardiſſimè moto ſanguine fient ſalium concretiones in moleculas majores quam concreſcere poſſent in ſanguine debitâ cum velocitate circumacto. E contra, ſi ſanguis nimiâ vi agitetur, luminis ſive ignis materia & ſali & præcipuè ſulphuri intimè commiſta, effracto ejus carcere ſive ſolutâ quadantenus (ut in flammâ & eâ frictione fit qua quævis corpora incaleſcunt) ſulphuris compoſitione violentis concuſſibus ſalinarumque particularum impetu magnoque momento, liberata avolabit, ſenſumque caloris nimii ſive ardoris moleſti excitabit. Hoc in humoribus ſale volatili etiam parùm ſupra modùm abundantibus accidet; multò autem magis in iis corporibus quorum humores magnâ ſpirituum & ſalium volatilium, igne etiam Chymico ſaturatorum, repleti ſunt; quod & ratio eventurum promittit & ipſa experientia quotidie evenire oſtendit, cum ebrii

tantopere incaleſcunt, & languidus ſanguinis motus paucis volatilis alicujus ſpiritûs guttis ſtatim excitatur. At iſtâ ſalium volatilium in corpus ingeſtione occaſio præbetur novis concretionibus & moleculis canales obſtructuris; nimio enim illo calore ipſi ſales volatiliores, & cum iis ſulphur, penitùs exhalantur, & relinquitur craſſior & magis terrea earum pars, qualis in nodis arthriticis & nephriticorum calculis cernitur, quorum utrique ex ipſo ſanguine per minima vaſcula circulante ſecernuntur, ut & ſalſuginoſa illa materia quæ morborum cutaneorum fomes eſt, & cauſa immediata & evidens.

Hoc aut modo forſan non multùm diverſo fieri poſſunt duræ, acres, erodentes concretiones ſalinæ. Utcunque autem fiant, eaſdem certè fieri experientiâ deprehendimus, faciliùſque fieri in corporibus inexercitatorum & carnibus animalium adultorum intemperantiùs veſcentium & ſpirituoſos liquores liberiùs bibentium; exercitatis autem, temperantibus, & vegetabilibus ſolis aut non aliâ quàm juniorum animalium carne veſcentibus, potuque tenui & aqueo contentis, hujuſmodi concretiones nullas aut quam pauciſſimas naſci, morboſque ex his natos nullos eſſe; imò & iis quibus ex contrariâ victûs ratione

geniti ſunt, adhibitâ hâc temperante & ſobriâ, cùm morbos genitos evaneſcere tùm duras, acres, erodentes & inflammatorias concretiones ſalinas diſſolvi eòque morborum radices evelli. Ipſi autem experientiæ nullus eſt qui non majorem fidem adhibeat quàm vel accuratiſſimo ratiocinio philoſophico: fieri enim poteſt, ut vel accuratiſſimus philoſophus in cauſarum inveſtigatione aliquid omittat cujus tamen non contemnenda ſit vis in effectibus producendis, ita ut cùm ad experientiam ventum eſt non idem effectus ſequatur quem ratiocinium promiſerat: cum autem effectum aliquem, poſitis certis quibuſdam cauſis naſci, his ſublatis non naſci, frequenti & iteratâ experientiâ conſpicimus; nullus jam dubitandi locus relinquitur. Ad experientiam igitur provoco; ex qua cùm regulas hoc tractatu præſcriptas collegerim, nullus dubito ex eâdem denuò repetitâ earum veritatem & utilitatem omnibus manifeſtiorem futuram eſſe.

In hac editione, otium nactus, ſingula recenſui, plurima adjeci, nihil autem immutavi, non enim ego hypotheſes condidi philoſophicas aut mathematicas, ſed naturam depinxi & ægrorum labores & ærumnas morborumque ſymptomata à principio ad finem animo iterùm atque iterùm re-

volvens, hinc præcepta descripsi; deinde ex scientiæ naturalis principiis, non fictis, sed experimentorum stabili fundamento innixis, quatenùs licuit explicui; Verbo, de veritate præceptorum hic traditorum & fide certâ persuasus, iis propriæ meæ sanitatis tutelam jamdudum, magno meo commodo, concredidi; eâque meâ & multorum aliorum experientiâ confirmatus, cum bono Deo, concredere pergam.

POSTSCRIPTUM.

HUic de tuendâ sanitate tractatui alterum de fibræ laxæ morbis jamdudum scriptum subjunxi, propter argumenti similitudinem & quam sibi mutuò fœnerantur lucem. Utrumque autem Tractatum ex Anglicâ in Latinam Linguam vertendum commisi Joanni Robertson, A. M. viro morum integritate, judicii acumine, & literarum humaniorum cognitione, paucissimis secundo. Illi enim sub tecto meo, & consiliis meis, scientiis Medicis operam jamdudum navanti, idioma hisce appropriatum magis erat familiare, & in Philosophicis, Mathematicis & humanioribus literis recentiùs versato pura magis & prompta erat Lingua Latina, quàm mihi ætate vergente & provectà viro, & negotiis domes-

ticis non vacuo. Ideoque si quid elegantiæ in iis reperiatur id ei in totum tribuendum est; Sin minùs aptè quidquam dictum fuerit mihi imputandum, quòd me volente ita fuerit scriptum.

Oblatam nunc primùm occasionem hanc arripio publicè profitendi gratum meum animum erga illustrem illam doctissimorum virorum Societatem, Collegium Regium Medicorum Edinburgensium, cùm doctissimum integerrimumque & antiquis moribus virum Joannem Drummond, M. D. ejus Collegii Præsidem meritissimum, veterem meum & dilectissimum amicum, tùm reliquos doctos & honorandos Collegas, quòd me nec opinantem ultrò dignati sint in Societatem suam cooptare, missoque ad me publico instrumento factum id suum significare; cujus ego honoris, propensique erga me & amici illustrissimorum virorum animi nunquam immemor vivam.

Bathoniæ, Aug. 23.
1725.



ELENCHUS
RERUM.

Caput II. De Cibo & Potu.

CAPUT III. De Somno & Vigiliâ.

CAPUT IV. De Motu & Quiete.

CAPUT V. De Excretis & Retentis.

Caput VII. Miscellanea.

FINIS.

APPROBATION.

J'Ai lû par ordre de Monseigneur le Chancelier ce présent Livre, qui a pour titre : *Georgii Cheynæi M. D. Coll. Reg. Med. Edinb. &c. Tractatus de infirmorum sanitate tuendâ vitâque producendâ &c.* que j'estime être très-digne de la reimpression. A Paris ce 22 Février 1741.

CASAMAJOR.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, Salut. Notre bien amé GUILLAUME CAVELIER, Libraire à Paris, ancien Adjoint de Sa

Communauté, Nous ayant fait remontrer qu'il souhaiteroit faire imprimer & donner au Public, *Essai sur la Nature, & le choix des Alimens. Cheynæi Tractatus de infirmorum sanitate tuendâ, vitâque producendâ.* S'il Nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Privilege sur ce nécessaires, & offrant pour cet effet, de les faire imprimer en bon papier & beaux caracteres suivant la feuille imprimée & attachée pour modele sous le contre-scel des présentes: A CES CAUSES, voulant traiter favorablement ledit Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire imprimer les Ouvrages ci-dessus specifiés en un ou plusieurs volumes, conjointement ou séparement & autant de fois que bon lui semblera, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de *neuf* années consecutives, à compter du jour de la date desdites Présentes; Faisons défenses à toutes sortes de personnes de quelque qualité & condition quelles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance: comme aussi à tous Libraires, Imprimeurs, & autres d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire lesdits Ouvrages ci-dessus exposés en tout, ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des Contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Sr. Exposant, & de tous dépens, dommages & interêts, à la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le registre

de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion deſdits Ouvrages ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs; & que l'Impetrant ſe conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du dixiéme Avril mil ſept cent vingt-cinq; & qu'avant que de les expoſer en vente les Manuſcrits ou Imprimés qui auront ſervi de copie à l'Impreſſion deſdits Ouvrages ſeront remis dans le même état, ou les Approbations y auront été données ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur Dagueſſeau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliotheque Publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le Sieur Dagueſſeau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des Préſentes; du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Expoſant, ou ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empéchement. Voulons que la copie deſdites Préſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin deſdits Ouvrages ſoit tenu pour dûement ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires; foi ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & néceſſaires ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Paris, le vingt-huitiéme jour d'Avril,

l'an de grace, mil ſept cent quarante un, & de nô-
tre Regne, le vingt-ſixiéme.

Par le Roi en ſon Conſeil, SAINSON.

Régiſtré ſur le Regiſtre X. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, n. 484. *fol.* 483. *Conformement aux anciens Reglemens confirmés par celui du* 28. *Fevrier* 1723. *à Paris, le* 2. *Mai* 1741.

SAUGRAIN. Syndic.

De l'Imprimerie de la Veuve MERGE',
ruë S. Jacques, au Coq.

DE



DE INFIRMORUM SANITATE TUENDA VITAQUE PRODUCENDA TRACTATUS.

§. I.

VULGI diverbium eſt; hominem quadragenarium, niſi fatuus ſit, Medicæ artis ita imperitum eſſe non poſſe ut, quid ad propriæ ſuæ ſanitatis conſervationem fieri opus ſit, neſciat. Æquo jure dicerent, omnes ætate

provectos rerum etiam divinarum ſcientiâ, non leviter imbutos reperiri. Quorum neutrum verè dici comprobant qui nunc ſunt hominum mores; quibus nihil ſanitate contemptius, nihil neglectius eſt, ſi unam excipias ſalutem æternam. Adverſæ, fateor, valetudinis incommoda nemo non perſentiſcit: at commoda proſperæ quotuſquiſque juſto pretio æſtimat! ea tamen longè faciliùs conſervatur quàm amiſſa reſtituitur; cùm promptiùs venienti occurratur morbo quàm longâ morâ invaleſcenti medeatur. Cæterùm, conſervandæ valetudinis ipſi nos arbitri ſumus; ſuſtinendo enim & abſtinendo res perficitur: ad amiſſam verò recipiendam viâ incertâ & impeditâ eundum eſt & quæ duce egeat, qui an peritus, an fidus ſit prorſùs neſcimus, quique non niſi certâ lege, & mercede conductam operam nobis ſuam locat.

Me quod attinet, quem infirma proprii corporis è laxioribus coagmentati fibris compages juvantium & lædentium caro emptam ſcientiam tandem aliquatenùs edocuit; & cui diuturna obſervatio omnigenorum affectuum quibus laborantes Bathoniam noſtram, publicum Britanniarum Noſocomium, valetudinis causâ frequentant, methódos quaſdam efficaciores ſuggeſſit quibus minùs viribus firmi magiſque mor-

bis, præcipuè diuturnis, obnoxii inſiſtentes ſaniores degant vitamque, quoad fieri poſſit, in longum producant: non ignarus malorum, miſeriſque ſuccurrendi cupidus, non meliùs mihi videbar poſſe collocare horas aliquot ſubſecivas quàm ſi in unum corpus colligerem regulas, ſanitatis conſervandæ & vitæ producendæ ſtudioſis, utiliter obſervandas; quantòque poſſem clariori luce illuſtratas in publicum darem, eorum gratiâ quibus & iſtæ prodeſſe poterunt, neque locus, tempus, otium ſimilibus inveſtigandis opportuna obtigerunt.

§. 2. Quæ ne temerè coacerventur, ſed, quantùm rerum tractandarum varietas patitur, ordine tradantur; viſum eſt ſequentis Tractatûs materiam in quaſdam claſſes diſponere, Titulo *Rerum non naturalium* non doctis tantùm ſed & vulgo notiſſimas: quarum primâ ea complectar quæ de aëre monenda habeo; ſecundâ, quæ de cibo & potu; tertiâ, quæ de ſomno & vigiliâ; quartâ, quæ ad motum ſpectant & quietem; quintâ, quæ ad excreta & retenta. In ſextâ, quantùm ad valetudinem immutandam vehementiores & diuturniores animi affectus valeant, altiùs repetitis principiis, oſtendam. His ſeptima accedet earum obſervationum quibus aptum ſatis locum

in præcedentibus non facilè invenias. Talem autem dicendorum ordinem, utpote commodum, præ aliis plurimis delegi qui elegantiores fortaſſe non magnâ animi contentione poſſent excogitari.

§. 3. At cui hæc, inquies, bono? Annon *miſerè vivitur* (ut proverbio vulgari efferunt) *cui medicè vivitur?* verum profectò eſt, duram eſſe ſervitutem & quam vix homo ingenuus ferat, ſolicitâ nimiâque valetudidis curâ detineri & minimo quovis ſanitatis offendiculo terreri; quod eſt, ut poeta loquitur, *ne moriare mori.* Imò, eam provinciam quam tenendam ſuadet juſtitia, humanitas aut magnanimitas, ſanitatis (quæ, niſi honeſtis uſibus impendatur, nullius pretii eſt) accuratè tuendæ causâ omittere, viro, præcipuèque chriſtiano, prorsùs indignum eſt. At contrà, intemperantiâ, incauto victu, immodiciſque nec crimine vacantibus animi perturbationibus leti ſponte ſuâ properantis incitare curſum; gulæ gratiâ aut voluptatis nobis cum animalculorum abjectiſſimo quocunque communis, dolores acres pati, lentiſve languoribus emori; luxûs denique & libidinis acerbis ultricibus pœnis, cruciatibus Martyrum haudquaquam mitioribus, nos objicere; tantùm infra hominis dignitatem ſubſidet quantùm à debitâ Domino noſtro

Deo obſervantiâ deficit. Niſi enim mediocrem ſaltem gradum ſanitatis attigerimus, quî nobiſmetipſis aut amicis jucundi aut utiles vivemus? quomodo ærumnarum humanarum ſolatiis divinâ clementiâ indultis fruemur? Quomodo vitæ officia Deo aut homini præſtanda obibimus? Et verò qui petulanter manifeſta ſanitatis tuendæ præcepta contemnit propriæ mortis reatu *vix* abſolvitur: qui obfirmato animo aduſque extremum vitæ exitum, omnino non. Eſt autem hoc immane imprimis flagitium; nec facilè alio quovis graviùs læditur Dei majeſtas. Proculcatur utique maximum ejus erga homines beneficium, temporaria, inquam, vita futuræ feliciſſimæ adipiſcendæ unica opportunitas: deſeritur ſtatio quam tenendam nobis crediderat, eoque ipſi nos inepti reddimur in quibus peragantur quæ divina providentia in nobis peragenda propoſuerat.

§. 4. Cum itaque officii noſtri ſit ſanitatem tueri; ſupervacanea autem ſit omnis ejus immodica cura: omiſsâ futilium quæſtiuncularum ſubtilitate, præcepta quædam regiminis ſalubris perſpicua, nec ita magno numero, proponam, latiſſimè tamen patentia, quibuſque & facilè & magno ſuo commodo quivis obſequatur. De quibus hoc in ipſo limine monendum venit, ea

magnam partem eſſe etiam officii noſtri erga Deum præcepta: ut eadem plerumque ſunt inſtrumenta præſentis & futuræ felicitatis: uſque adeo verè dictum eſt, *Deum piis ſpopondiſſe bona cùm præſentis tùm futuri ſæculi.*

CAPUT I.

De Aëre.

§. 1. INevitabilem aëris, ad hominis omniumque animalium vitam conſervandam, neceſſitatem, maximamque ejus vim jamjam exponendam in valetudine multis mirisque modis immutandâ meditanti, utiliſſima certè videbitur naturæ & proprietatum ejus fluidi, effectuumque ab iis pendentium aliqualis cognitio; quâ ſcilicet inſtructo in promptu erit omnia ſalubris aëris commoda captare, atque inſalubris noxas evitare, quâtenus ſaltem cuique, per communem rerum humanarum & ſuarum privatam ſortem licebit.

§. 2. Aër purus & primigenius eſt fluidum ſummè elaſticum & grave quidem, ſed omni humore oculis noſtris obvio longè longèque levius. Non tamen nos m*rum

hunc purumque aërem ſpiramus, ſed multiplici halituum, vaporum omnigenûmque effluviorum varietate fœtum.

Præcipua aëris, eique ex omnibus certò nobis cognitis fluidis propria qualitas eſt elaſtica vis. Quam illi notabilem & validam ineſſe demonſtrant ſexcenta Philoſophorum experimenta & obſervationes notiſſimæ. Ea in condenſato ſive ſtipato aëre maximè viget: in rariore & expanſiore languet. Aërem autem denſat propria ejus gravitas & frigus & quæcunque vis comprimens: expandit calor & omnis externa cauſa gravitatem ejus minuens. Licet aër gravitate reliquis fluidis terreſtribus cedat: cùm tamen ad magnam à terrâ diſtantiam extenſus amplitudine levitatem penſet; eximios pondere ſuo effectus in omnia corpora terreſtria edit, inanimata, vegetabilia, animalia & in his (quod præcipuè attendimus) humana. Mediocris enim ſtaturæ homo nunc quadragies mille librarum, nunc pondere decimâ prioris parte minuto premitur, indice barometro. Aërem frigus contrahit & condenſat, calor rarefacit & expandit. Denſioris major, rarioris minor eſt, æquâ utriuſque mole, gravitas: & vis elaſtica pro gravitatis ratione major minorve. Unde frigus, denſitas, gravitas, aucta elaſtica vis aëris ferè eadem faciunt; ut, ex ad-

verso, calor, raritas, levitas & elastica vis minuta effectibus non multùm differunt.

§. 3. Vi sua elasticâ & gravitate aër in patentia corporum animalium cava se insinuat. Unde fit ut infanti recens edito, cùm primùm thoracem dilatat, pulmo antea clausus & compactus, nunc distentus aperiatur, asperæ arteriæ ramis eousque diductis ut & aëri in vesiculas ultimos eorundem ramusculos claudentes aditus, simulque sanguini per intertextas vesiculis arteriolas venulasque eum per pulmonem derivantes, indeque resorptum ad cor referentes, liber transitus pateat; quem quidem pulmo sive nimis sive non satis distentus præcludit. Modum autem quo aër sanguinem præterfluentem comminuit à sexcentis scriptoribus expositum hîc describere nihil attinet. Infirmis satis erit nosse quis qualisque aër iis maximè conveniat. De quo primùm generalià enarrabimus, deinde singularia quædam monita subjiciemus. Obiter tamen notandum est, aërem non externâ tantùm pressione sanguinem commolire & conterere; sed præterea eidem commistum, (sive per pulmonem ingrediatur, sive per alimentorum ductus, sive utrinque) per eosdem canales protrusum, eisdem cordis arteriarumque viri-

bus compressum, elasticâ suâ vi resilientem, humorem viscidum diffringere, comminuere & fluxiliorem reddere, modo forsan non dissimili ei quo guttæ vitreæ inclusus, diffracto ejus apice, totam violenter disjicit & in pulverem redigit.

§. 4. Sanitati conservandæ aptissimus est aër siccus, inter calidum & frigidum medius, quantùm hæc temperies sinit elasticus & gravis, plantarum odoriferarum effluviis modicè plenus, herbarum noxiarum, animalium, præcipuè mortuorum, omniumque mineralium halitibus, quâtenus licet, vacuus. Siccus admittendis intra se corporis vaporibus per cutem & pulmonem exhalantibus opportunus (quippe qui humorem è quorumvis corporum objectorum superficie elicit & quasi sitiens exugit) eorundem egressui favet, nedùm obstat. Humidus contrà iisdem obstat non tantùm, sed & vapores quibus jam onustus est, non rarò noxios, intra corpus adigit: quibus si frigus accedat, liquores summis, cutique proximis canaliculis contentos incrassans & tantùm non congelans, aëris interim humore corporis fibras longè validiùs laxante quàm frigus easdem constringat, perspiratio impeditur, succi extremis vasculis hærent aut saltem tardiùs expelluntur: unde sanguinis circuitui obstacula ponun-

tur, variæque animalis œconomiæ perturbationes viſcidis ſuccis, obſtructæque perſpirationi debitæ oriuntur. Faciliùs autem aer humidus infirmorum quàm robuſtiorum corpora extrinſecùs ingreditur: quòd ſquamularum cuticulæ vis elaſtica quâ perſpirationis meatuum oſcula arctiùs contegunt in robuſtorum corporibus, infirmis magnam partem perierit & elanguerit. Præterea his, cùm omnium humorum circuitio languidior fit, etiam perſpirabilis materia tardiùs minoreque cum impetu prorumpit minùſque ideo aëris ingreſſui obſiſtit. Cum robuſtis contra validiùs exeat aërique ingreſſuro per eoſdem canales ipſo ſuo flumine obſtet, aut per venulas ingreſſum quærenti, cùm perſpirabilis materia per arteriolas egrediatur, etiam venulæ aliàs aditum daturæ, ab arteriolis vicinis materià perſpirabili turgidis compreſſæ, aut minùs aut omnino non pateant. Arteriolas autem & venulas hic intellige vaſcula ab illis ſecretoria, aliaque in has ab extrà patentia, uſu (ſi talia reverâ exiſtant) ſecretoriis contraria. Hâc de causâ robuſti & quicunque potu ſpirituoſo hauſto adhuc fervent, frigus non ſuſcipiunt. Eâdemque ratione modicus vini generoſi & cibi lautioris uſus contra peſtilentis aëris noxas tam potens remedium invenitur; non tantùm prop-

terea quod meticulosis (quibus à peste majus est periculum) eorum usu moderato animi addantur; sed præcipuè quod hac ratione perspirationis fluxus vegetus & plenus conservetur. Infirmis contrà, aër pestiferus faciliùs corpus subingreditur. Imò, quicunque aër corpora infirma & viscidis acribusque humoribus ex alimento sive nimio sive pravo, ideoque inconcocto genitis plena ingreditur, materiam quæ perspirare debuerat & quantitate insignem & acrem & vellicantem per fibrillas adigit in omnia corporis cava & musculorum interstitia, morborum hypochondriacorum & quorumcunque nervinorum seminium futuram Pulmonem insuper ingressus aër vaporibus repletus, cùm ejus fibras, non secus ac exteriores & cutaneas remollit laxatque, tùm perspirationi per ejus membranas obest: sicco item & puro aëre minùs elasticus, eo etiam debiliùs sanguinem præterfluentem commolit & diffringit.

§. 5. Caloris quidem & frigoris satis insignes effectus in animalium corporibus conspiciuntur; sed plerique humorum interventu editi. Verum quidem est frigus intensum aut derepente invadens molesto sensu fibras stimulare & constringere: similiaque facere, licet inæquali vi, aërem frigidum frigidamque aquam prout huic aut

illi te ſubitò immerſeris; eademque ab utro-vis inſtare mala ex longiore morâ. Adurens etiam intenſuſque calor eodem modo irruens, eadem præſtat. Citra tamen vehementiam jam dictam & modum ſervantia frigus calorque ipſas fibras minùs afficiunt, viriumque ſuarum longè maximam partem in humores impendunt. Qui cùm frigore concreſcunt fibris graves incumbunt, earumque concuſſibus cum non promoveantur, eaſdem delaſſant; eaque omnia fiunt quæ paulò ſuperiùs expoſuimus. Cùm è contra, calore modico humores reſolvuntur, fibras onere levant, earum impetui non nimis reſiſtunt, fluidiores facti per canales faciliùs circumaguntur, minorique operâ comminuuntur, & perſpirabile promptiùs extruditur. Intemperantior ſi ſit calor; humores plùs æquo rarefacti canales nimis diſtendunt, fibrarumque diſtractarum interſtitiis ſe inſinuant, eaſque ſic remollitas debilitant laxantque, ut omne durum corpus fluido eatenùs craſſo ut ejus poros facilè quidem ſubeat, non tamen eorundem anguſtias eluctata dilabatur facilè, mole augetur, molleſcit, fluidique indolem quadantenùs induit; animalium ſcilicet & plantarum corpora laxioribus poris aqueum quemcunque humorem admittunt, nec tamen facilè dimittunt; metalla autem,

compactiora cùm sint, non nisi subtilissimum fluidum, mercurium puta aut lumen sive ignem, suscipiunt & ingressum tantisper retinent; qui tamen ignis metalla relaxans & distendens corpora quævis animata motûs sui pernicitate priùs corrugata, deinde dilacerata in cinerem redigeret. Sic, inquam, remollitas fibras humores nimio calore rarefacti relaxant; diffluente interim per ampliatos cutis poros non jam vapore sed liquore manifesto quem sudorem vocamus. Unde exercitatio ne ultra prima levis sudoris initia protrahatur, præceptum est. Quanquam tutiùs exercitatione, quâ fibræ constringuntur, quàm solo aëris aut ignis calore, qui fibras non contrahit, sudor dimanet: ut diversos quos exercitationis & ignis calor sensus excitant observanti manifestum erit. aliunde etiam frigus & calor corpora nostra tangunt, eodem tamen quem modò enarravimus effectu. Aëris nempe gravitate & vi elasticâ calore imminutâ, humorum contentique in iis aëris expansioni (amotis jam obstaculis) occasio præbetur: ex quâ, cùm nimia est, fibrarum distractarum laxitas sequitur. Iisdem qualitatibus frigore auctis humores comprimuntur &, si nimium est frigus, congelantur, & jam ante dicti frigoris effectus cernuntur. Ex dictis patet cur *solutâ acri gelidâque hyeme*,

& accedente veris tepore, tot infirmi pleuritide & peripneumoniâ corripiantur.

§. 6. Gravitatem & levitatem aëris eadem, quæ aucta & imminuta ejusdem vis elastica præstat, in corporibus nostris efficere supra monuimus. Modicè autem gravem atque elasticum laudavimus, quòd aëre leviore minùsque elastico inertiùs premente rarefiant & expandantur humores, canales laxati debilitentur neque humoribus, jam minùs fluxilibus, circumagendis sufficiant: unde fatiscentibus, inter alias, pulmonis etiam fibris nec satis distentis ejus vesiculis, sanguis minùs subtiliter comminutus lentè & segniter per eum transit, hinc autem molestus difficilis respirationis sensus oboritur. Graviore è contra aëre magisque elastico, validiùs quam par erat pulmonis canaliculos urgente, eosdemque contrahente, simulque vesiculas nimis inflante (quæ propterea sanguinis rivulos eas perreptantes in arctum cogunt) sanguini per hujusmodi angustias non patet liber transitus: unde iterum respirandi difficultas & præcordiorum anxietas. Perit nempe utrobique æquilibrium; hic fibris, illîc humoribus præponderantibus. Hæc ab ultimis & extremis gravitatis gradibus expectes. Nihil enim metuendum est quamdiu intra certos quosdam limites consistunt, eosque ro-

bustis quidem hominibus oppidò laxos, infirmioribus verò arctiores sanè, sed aliquousque tamen patentes. Intra hos terminos variè mutatum aëris pondus quantum ex unâ parte circuitui sanguinis (hoc est, vitæ) obest, tantùm ex alterâ eidem favet, æquilibriumque conservatur. Cùm enim auctum canales angustat, humores turgentes simul reprimit, eosdemque fluxiliores reddit. Cùm verò, diminuto externi aëris pondere, internus qui in corpore est humores expandit, eòque minus fluxiles reddit: simul etiam eâdemque de causâ & canales laxantur & via sanguini spumoso, proptereaque capaciorem alveum poscenti, amplior aperitur. Mitto intendi etiam aëris gravitate cordis vires, levitate remitti. Hæc autem omnia attendenti clarè patebit minus à graviore aëri quàm a leviore periculi imminere: cùm hîc spumosior, expansior, minusque fluxilis sanguis, remissiores fibræ, inertior cordis vis, solâ laxiore canalium amplitudine pensentur; illic è contra, unam canalium angustiam pensent eorundem firmius robur, auctior cordis vis ad humores circumagendos, majorque horum fluxilitas & contractius volumen.

§. 7. Effluvia aëri intermista quod attinet: jam antè ostendimus qui aqueorum vaporum effectus sint. Neque his multùm

diversa faciunt maximæ plantarum partis & sanorum animalium exhalationes. Noxiarum & putrescentium herbarum ut & morbidorum, mortuorumque animalium halitus mera venena sunt, proque variâ suâ indole varios morbos & in his ipsam pestem gignunt, teste omnium gentium & seculorum experientiâ. Mineralium effluviorum salsa quidem sanguinem penitùs dissolvunt, omnia scorbuti mala symptomata pariunt, lassitudinem, erraticos dolores, pulsum inæqualem, oris fœtorem, liventes per cutem maculas, verbo, cachexiam universalem. Sulfurea autem & metallica hecticam febrem, asthma, atrophiam, tremorem, paralysin, passionem hypochondriacam, & hystericam, omnesque nervorum laxorum morbos. * Horum veritatem abundè evincunt metallarii, sive effodiendis sive fundendis purgandisque metallis detenti; quorum plerisque miseram vitam jam dictorum aut consimilium moborum aliquis brevi abrumpit.

§. 8. Variæ aëris qualitates ita insigniter corpora nostra afficiunt ut infirmioribus quibusdam levissimo ejus frigore & humiditate perspiratio valdè minuatur, aut tantùm non penitùs obstruatur, succique coagulentur & lentescant. Imò nonnullis, qui-

* Vide Ramazzin. de morb. artific.

bus singularis alicujus membri fibræ, olim vi morbi debilitatæ, vulnere laceratæ aut quâcunque de causâ aliis reliqui corporis infirmiores sunt, cùm primùm vapores circa terræ superficiem densari cæperint, eo in membro dolores recrudescunt, ingruentis tempestatis prænuncii. Similia patiuntur quibus clavi aut calli ambientibus vaporibus, eorum non aliter quàm ligni cornuumve fibris sese insinuantibus tumefacti, vicinosque nervos comprimentes, easdem præsagas molestias creant. Sunt & hypochondriaci quibus cœlo sereno serenus, nubilo nubilus etiam est animus. Asthmaticis quibusdam aër siccus & tenuis molestus est; crassus humensque, qualis est Belgarum, commodissimus: quorum aliis crassa aliquot novi chyli recrementa videntur viam sibi aperuisse per faucium & laryngis glandulas, quæ humido aëre mollitæ patent, sicco autem constrictæ clausæque totum onus in pulmonem rejiciunt eidem ferendo imparem; unde præfocationis periculum imminet. Hi sunt ex eorum genere qui asthmate quem vocant humoroso laborant. Aliis nervoso dicto asthmate laborantibus, pulmonis fibræ æquo rigidiores emolliente & laxante aëris humiditate indigent, quo feliciùs suo munere fungantur. Plerisque tamen asthmaticis siccus, frigidusque imò gelidus,

non tamen gelidissimus, aër convenit. Talis enim validissimè viscidum sanguinem comminuit omnibusque respirationis usibus inservit. Suscepto frigore aut rheumatismo laborantium sanguinem è sectâ venâ missum inspicienti satis patebit, variis aëris qualitatibus immutari, imò & penitùs vitiari posse sanguinis, omniumque humorum animalium crasin & compagem. Metallariorum, præcipuè mercurium antimoniumque tractantium, paralyses, vertigines & affectiones hypochondriacæ, aliique nervorum morbi ex tetris exhalationibus orti, satis ostendunt aërem adventitiis qualitatibus infectum nervos relaxare posse, eorumque motus impedire &, ut ita dicam, obstruere. Colicus dolor, diarrhæa, tussis, phthisis, ab aëre humido & nitroso orti morbi, evincunt ab eo insigniora viscera corporisque organa corrumpi vitiarique. Imò, cùm quovis horæ momento aër in corpora nostra admittatur aut attrahatur ipsisque humoribus commisceatur; pravæ quævis illius qualitates tractu temporis funestis perturbationibus corporis œconomiam quatient. Cujusvis igitur hominis plurimùm interest curare quo qualique aëre circumfusus & dormiat & vigilet omniaque vitæ munia obeat, qualemque (quod præcipuum est) inspiret, ad intimamque cum

iis humoribus suis, à quorum rectâ integrâque constitutione vita & sanitas magnam partem pendent, mistionem admittat. Satis itaque mirari nequeo, Britannis nostris, quibus omnes vitæ commodè transigendæ, ne dicam luxûs, artes perspectissimæ sunt, adeo nullam ferè deligendi salubris aëris curam insedisse.

§. 9. Quare cùm aër tanti sit ad sanitatem momenti, gratum nos infirmis facturos arbitramur si ejus ratione quomodo illis vivendum sit indicaverimus. Imbecillis omnibus naturâque infirmis (hoc est, valetudinariis quidem, sed nondum gravi aliquo aut notabili morbo correptis) aër exquirendus erit qualem jam ante descripsimus, siccus nempe, tepidus, quantùmque per teporem licet gravis & elasticus, omnibus mineralium quorumcunque, animalium morbidorum & mortuorum, plantarum noxiarum, putrescentium & putridarum effluviis quàm fieri poterit vacuus. Quarum omnium qualitatum salubritatem supra exposuimus. Sed ne sanorum quidem animalium copiosissimis halitibus aut plantarum innocuarum plurimis vaporibus fœtus convenit, utpote humiditate suâ noxius. Notissimum est exiguam aëris portionem, uno aliquo animali eam spirante brevi effætam fieri & respirationi ita proïsùs

ineptam ut nisi novus in ejus locum succedat, animal moriatur. In magnâ igitur magnarum urbium frequentiâ, aër cùm aliis de causis respirationi ineptior est, tùm propter ipsam hominum multitudinem impotentior & sanguini comminuendo impar. Unde hypochondriaco malo, asthmati & cachexiæ urbani opportuniores degunt, omnibusque morbis à viscido sanguine ortis. Iisdem ferè incommodis obnoxii sunt etiam ruris incolæ sylvestribus locis habitantes. Insigne hujus rei experimentum cæperunt primi aliquammultarum Americæ regionum sylvis obsitarum coloni, morte suâ humentis aëris scelera luentes, qui non nisi longè latèque vastatis igne sylvis tandem innocuus & saluber factus est. Quod ingentem aquæ quantitatem plantarum nutrimento per eorundem canales vehendo necessariam, postremò ultimis earundem ramusculis exhalantem consideranti nequaquam mirum videbitur.

Quare nullibi commodiùs habitatur quàm in regione campestri aut medio colliculi clivo, solo macro, tenero, minimèque pingui aut bituminoso, sed sabuloso potiùs & agricolarum votis minùs benignè respondente. Soli verò indolem satis ostendunt herbæ sponte provenientes; certiùs autem aqua inde scaturiens; quæ cùm dulcis, in-

ſipida aut lenis eſt, leviſque, pura & tranſlucida, ſaluberrimi ſoli indicia præbet. Quod villarum fundamenta poſituris notatu digniſſimum eſt, ut ſcilicet eas tali qualem jam deſcripſimus loco ædificent, nec unquam montium jugis propriori, aut majori cuiquam flumini aut multæ aquæ undecunque confluenti (multò minus, ſtagnanti) vicino, procul omni minerâ, omnique palude procul. Denique Aquilonis, Cæciæque horriferis flatibus defendant oppoſiti ad ſeptentriones ortumque ſolis æſtivum colles aut longiùs diſſiti montes: quos natura commodè ſitos negaverit, defectum ars ſuppleat obtento frigoribus nemoris vallo; nam ingenti ſylvâ nequaquam opus eſt, quæ vaporibus ſuis officeret aëris ſalubritati. Prope montium cacumina vapores condenſantur, quæ ideo perpetuis ferè imbribus ſtillant, ita ut monticolis ſupellex mucore pereat hybernis præcipuè menſibus. Nec infrequens eſt, in montibus pluere aut ningere, cùm in vicinâ interim regione inferiore cœlum ſerenum ſit. Montium etiam plerumque ſinibus abditæ latent mineralium fodinæ noxiis ſuis halitibus ſanitati damnoſæ; aut aqua pluvia collecta ſtagnat. Nubes enim, quæ vellerum ſpecie aëri, ad non magnam altitudinem, innatant, non aliud ſunt quam aqua rarefacta, quæ in cel-

ſiora montium cacumina impingens in rorem pluviamque condenſatur & per fiſſuras hiatuſque aſſiduè depluit in ſubjecta receptacula. Et hæc fontium fluviorumque origo eſt. Violentiùs inſuper hîc venti dominantur, quorum vi vapores validiùs impacti penitiùs copus ſubeunt, conſpirante etiam perpetuo hujuſmodi ventorum comite frigore nocentiores majorique damno inferendo pares. Omnis latior aquarum campus vapores nimios: & ſtagna, paludeſque etiam putridos mittunt. Bituminoſum & quodcunque pinguius ſolum (præcipuè nigri coloris, qui hîc ex * putredine naſci videtur) ſulfureis, ſive mineralibus ſive putridarum ſtirpium aut animalium halitibus vicinum aërem inficit. Ejuſmodi autem effluvia quàm noxia ſint & ſupra oſtendimus, & nemini ferè ignotum eſt. Macro è contra, teneroque ſolo, præcipuè ſabuloſo, & pauciores, & minùs noxii vapores exeunt, iique ferè plantularum odoriferarum & exſiccantium (quales ſunt erica, ſerpyllum, tormentilla, &c.) quæ his maximè locis libenter proveniunt, ſuaveolentibus halitibus medicati: qui & cerebro nerviſque gratiſſimi accedunt, pulmoniſque fibras leni ſuâ titillatione inſpirati corroborant; & in ſanguinem etiam, trajectis (ut probabile

* Vide Newton. Optic. Lib. II. p. III. Prop. 7.

ſit) ejus membranis, recepti quovis cardiaco medicamento per ventriculi vias ingreſſo ſubtiliores & defæcatiores, temporis diuturnitate magna commoda, nullo in præſens damno, adferunt. Et, quod obiter notare liceat, hujuſmodi ſolo plantæ ſuccreſcunt, infirmorum ſtomachis aptiores aliis ejuſdem ſpeciei ſolo pingui innutritis. Hîc teneriora dulcioraque olera, bulbi, radices adoleſcunt. Idemque de animalium minùs luxuriante talis ſoli gramine paſtorum carnibus verum eſſe omnes uno ore fatentur. Imis autem vallibus qui habitarent omnia perpetuò humentis nimiùmque calentis aëris incommoda experirentur. In valles enim undique aqua torrens defluit, aut ſubter terram reptans ſtillat; ſtagnanſque aër (liberis utique ventorum flatibus impervius) putreſcit: unde ſimul fibræ remollitæ laxantur & humores corrumpuntur.

§. 10. Proximum eſt ut infirmi à nocentioribus ventis ſibi caveant. Aër enim vehementiùs commotus (qui ventus eſt) validiùs quieſcente vires ſuas exerit ſive noxias ſive ſalutares. Frigus præcipuè aëris motu intenditur; vaporeſque, ut ſupra monuimus, altiùs in corpora animalium ſe penetrant. Omnibus ferè ſeptentrionalium regionum incolis Aquilonis, Cæciæque fla-

tus (quippe qui hyperboreæ æternæ nivis nitrum everrentes advehunt) acerbo & penetrabili frigore metuendi sunt. Zephyrus autem & Africus Britannis, omnibusque occidentales Europæ regiones incolentibus, humiditate suâ graves sunt. Immenso enim maris æquore trajecto ad oras nostras appellunt vaporibus onusti, Extrêmum etiam orientale Britanniæ litus, Germanicum mare; & australia Europæ propius accolentibus, Mediterraneum erit molestum: hoc, Austro; illud, Euro flante. Et reâpse venti ab oriente, præcipuè æstivo, flantes Britannis & frequentiores sunt & nocentiores. Hyeme enim omnium ventornm frigidissimi sunt, quòd æternas borealium regionum nives verrant; æstate contrà, ardentissimi, quòd easdem regiones, tûm temporis perpetuo sole calentes perflent. Et ab his ferè solis plagis venti spirant (cùm ver siccum est) ab ineunte Februario adusque calendas Junias: ab oppositis, è contrà, plagis, cùm pluvium est. Quod usque adeo constat ut per vernos menses ex vento circa novilunii tempora flante, cœlum serenumne & siccum, an contrà, humidum nubilumque sit futurum, satis certò prænunciari possit, non inutili infirmis præsagio, quibus commodum erit (propter insignem aëris in humana, & præcipuè imbecilla, corpora) è

cubiculis

cubiculis suis ad orientem aut septentrionem oppositis, sicco vere aut flante Cæciâ, in alia migrare occidentem spectantia aut meridiem: quod si minùs liceat, saltem fenestras frigoribus adversas quàm accuratissimè claudant aut rarissimè aperiant. Simili se ratione tueri poterunt adversus austrinos & occidentales humidi veris flatus. Si quis verò infirmus quâcunque occasione Boreæ frigoribus alserit; conveniet, illum primo quoque tempore id medicaminis, prævertendis malis inde nascituris, adhibere quo postmodùm ostendetur præclusam perspirabili halitui viam denuò aperiri posse. Reliquis Europæis Eurus, Euronotus & Auster siccitate suâ benigniores sunt. Et omnibus quidem mediterraneis locis sicciores venti spirant. Infirmis igitur cavendum est ne flanti inimico vento se exponant: aut, si hoc vitari nequit, crassiore se vestitu contra frigus muniant. Humiditati, dùm peregrè sunt, non ita facilè occurritur, quæ per ipsa etiam vestimenta viam sibi ad cutem aperit, nulloque artificio, aut non nisi laborioso & molesto pulmone arceri potest; ad quem tamen satis quoad frigus temperatus aër accedit, si per nares solas admittatur. Domi, vestitu imprimis (sed qui simul corpus foveat & non prægravet, qualis ex panno villoso conficitur) frigori re-

ſiſtendum puto. Aſſueſcendum interim ut quàm minimo fieri poteſt veſtitu corpora noſtra modicè foveantur, & ne nimio veſtium calore continuo ſudore madeamus; quo mala poſtmodùm recenſenda vitemus. Humiditati autem luculento foco efficacius occurritur. Utroque tamen, & veſtitu ſcilicet contra frigus & igne contra nimium aëris humorem, preſtantius ſupereſt remedium. Exercitatione nempe corporis, ne ejuſdem humores frigore concreſcant & ne fibræ humiditate mollitæ laxentur pari felicitate efficitur. Ea autem cùm, pluvio, procelloſo aut quomodocunque inclementi cœlo, ſub Dio peragi nequeat, domi obeunda eſt. Domeſticarum vero exercitationum longè commodiſſima eſt tudicularis ludus: quo nempe pilarum eburnearum per æquam ampliſſimæ menſæ circumvallatam planitiem bacillis protruſarum occurſus eâ arte regitur ut, alterâ per ambientis aggeris intervalla (ad hoc ipſum exſculpta) rejectâ & quaſi in fugam actâ, altera victrix campo dominetur inani. Hîc enim, nunc leniter obambulantibus, nunc ſtantibus, cùm inferiorum artuum omnes fibræ per vices tenſæ remiſſæque commodiſſimè exercentur, tùm corpus totum concutitur, brachiaque frequenti extenſione & pilæ propulſione, quanquam non validâ at penſitatâ tamen & ac-

curatâ, quæque omnes nervos intendat, agitata ſenſim roborantur. Quibus ampla ædium moles obvenit, utinam illi ſpatioſius aliquod triclinium ſaluberrimæ huic exercitationi palæſtram aſſignent: aut, ſi non adeſt, Saluti ædiculam ponere ne graventur.

§. 11. Præter eos halitus quibus vel ſolis vel ignis fortè ſubterranei vi excitatis aër ſcatet; infirmis Londini omniumque magnarum urbium incolis, quibus pro ignis fomite eſt aut gleba pinguis & ſulphurea aut præcipuè carbo foſſilis, diligenter quoque cavendum eſt à noxiis horum effluviis hyberno tempore totum circumcirca aërem inſpiſſantibus nigrâque caligine eorum domicilia involventibus. Ea aſthmaticorum imprimis pulmonibus gravia ſunt, at omnibus quidem imbecillis inimica. Quare illis ſuadeo, neglectis urbis deliciis hybernis, etiam illâ tempeſtate rure, quanquam minùs amæno ſalubriore tamen, habitent. Aut ſi omninò in urbe, negotiorum causâ, morandum eſt; diligenter ſaltem nocturni aëris incommoda vitent; & veſperi, cubiculo concluſi, luculento foco, ſuavibuſque amicorum confabulationibus animum ſimul oblectent, corpuſque incommodo vaporum humentium & mineralibus halitibus venenatorum contagio eripiant.

§. 12. Unum de aëris puritate monendum reſtat: ne ſcilicet quem cœli, ſolique ingenium ſalubrem purumque dederit, domeſticis ſordibus inquinetur. Quare ædes curiosè purgandæ ſunt, ſordeſque procul evertendæ. Neque in propinquo fœdum latrinæ barathrum eſt defodiendum. Utque puro ſalubrique cum aëre alia omnia pura ſalubriaque ad ſanitatem conſpirent, omnis veſtis lintea ſæpiùs mutanda eſt, ne penitùs inquinetur; omniſque vel levis culcitræ & ſtragulorum mador, & vapores tabulato aut pavimento recèns abluto exhalantes cautè vitandi. Denique, infirmo ægrotare timenti non proprii tantùm corporis curæ incumbendum eſt; ſed & familiares & convictores diligentiùs obſervandi: ut ſanis mundiſque ſolis aſſueſcat, atque ægrotantium & immundiorum convictu abſtineat.

Hæc ſunt quæ de aëris qualitatibus maximoque ejus ad valetudinem immutandam momento, infirmos ſanitatis tuendæ cupidos monendos puto. Quorum diligèntem obſervationem ad hanc rem magnam inſignemque vim habere, quicunque volet (cui modò hâc curâ opus eſt) ſuo commodo experietur.

CAPUT II.

De Cibo & Potu.

§. I. CIbum potumque iis qualitatibus præditum eâque mole definitum assumere, qui ad amussim conveniat organorum coquentium & digerentium viribus, quantivis momenti est ad sanitatem tuendam vitamque producendam. Determinatam enim nutrimenti quantitatem ad reparanda vitæ dispendia corpora nostra exigunt. Inter quæ duo si justa observaretur proportio, non temerè in acutos, vix unquam in diuturnos morbos incideremus, neque eos nobis præcideremus annos per quos ut corpora nostra durarent ex naturali eorundem compage datum est. At è nimia nutrimenti quantitate oritur humorum corporis lentor, molecularum nempe organorum coctricium vires superantium, & proinde minùs quàm par erat subactarum, nimia magnitudo, liquorum per vasa minima circuitioni obstans; quo fit ut illa tardiùs quàm vitæ usus postulant procedat, nonnunquam & penitùs sistatur, Minùs accurato ciborum delectui præcipuè debetur illa

ſalium acrium & exedentium congeries quâ ita vitiatur humorum indoles ut ipſos ſuos canales deterant aut dirumpant. Utrique autem jam dictæ cauſæ ſimulque ſedentariæ vitæ ignaviæ acceptam ferimus laxam illam, effœtam & enervem ſegnitiem fibrarum vi ſuâ elaſticâ orbatarum, mille malorum fontem. Ecce tres morborum diuturnorum ſive chronicorum effectrices cauſas, quæ novas indies novâque facie peſtes gignunt.

§. 2. Quod ad ciborum delectum attinet: carne plerumque veſci ſolitis, quales ſunt imprimis Angli, notandum venit ipſa animalia quibus veſcuntur, non minùs morbis ex pravo victu, ſenio, epidemicis, aliiſque cauſis ortis obnoxia vivere, quàm ipſos homines; neque è morbidorum animalium carnibus ſalubrem poſſe parari victum. Quare nec animalium menſis deſtinatorum victûs ratio negligenda videtur. Londinenſes (atque idem neceſſe eſt aliis magnarum urbium incolis uſu venire) quadrupedibus ſaginatis, avibuſque cohortalibus victitant. Quis autem ſine nauſeâ videat quàm inſalubri illa animalia imò putrido veſcantur alimento, quàm fœtentibus habitent ſtabulis, quantâ immunditiâ curentur! Craſſi impurique victûs aduſque ſatietatem repetita & quotidiana ingeſtio cum immunditiâ

juncta, si humani corporis succos putredine, imò ipsas carnes gangrænâ corrumpant, quod certè omnibus manifestum est: annon eadem præstabunt in aliorum animalium corporibus; sicque venenum nobis nutrimenti loco parabunt? Non multùm his diversa dici possent de plantis calore artefacto ad præmaturam maturitatem properatis. Qui igitur carnibus vesci cupit salubribus, non aliâ promptiùs ratione id assequetur, quàm si animalia nativæ eorum libertati permittat, puro sub aëre, iisque in locis ut vagentur quos duce naturâ affectant; ubi etiam tecta aut fruticeta aptè disposita à cœli inclementiâ tutum iis perfugium præbeant.

§. 3. Sed ponamus animalia sana: nihilo tamen minùs sanè vivere volentibus, præcipuè imbecillis delectus est habendus. Cujus, ut quod res est dicam, norma certissima ab ipsâ animalium naturâ & intimâ fabricâ (quam tamen sola experientia deprehendit) & privo cujusque hominis temperamento, gustu & consueto vescendi more, desumenda est. Ex tribus tamen quas jamjam tradam regulis in omni animalium ut & vegetabilium genere, haud magno labore discernere licebit quæ faciliùs ventriculi aliorumque organorum viribus, quæ difficiliùs solvantur in succum corpori alendo

idoneum; & proinde eorum unumquodque an infirmo ſtomacho aptum ſit an ſecùs.

Quæ autem de difficili quorundam ciborum digeſtione dicentur ita intelligi velim, ut eâ voce non ſolutionis tantùm in ventriculo difficultas, ſed ſimul omnia comprehendantur funeſta quæ hujuſmodi nutrimenta edunt effecta, à primo eorum in corpus ingreſſu aduſque exitum. Ea verò ſunt; vaſorum conterentium (non ventriculi tantùm & inteſtinorum, ſed & arteriarum, viſcerumque omnium ſanguinem elaborantium aut quidquam è ſanguinis maſſâ ſecernentium) actioni naturali non cedere; eadem ad actionem naturali vehementiorem ſtimulo ſuo impellere; cohæſione ſuâ in moles majores coaleſcere, quæ vaſcula minima, cum tranſire non poſſint, obſtruant, diſtendant, dirumpant; hiſque omnibus modis fibras deterere, laxare, corrumpere, hoc eſt, corporis fabricam diruere. Hæc autem pati eſt ærumnoſam & morbis obnoxiam vitam citâ morte finire. E contrà, certò certius eſt, quantò magis vires coctrices ſeu digerentes, hoc eſt, fibrarum robur, nutrimenta concoquenda & digerenda ſuperent, tantò ſubtiliorem confici chylum, liberiùs humores per omnes vaſorum vel minimorum anfractus vehi

revehique, atque alacriorem esse animum. Et hæc cùm fiunt, sanum & vegetum corpus est. Promissarum autem regularum.

Prima est; *Molecularum cujusvis corporis cohæsionem validiorem esse pro majori ratione superficiei cujusque moleculæ ad materiæ suæ quantitatem:* in plures enim contactus venire amplâ superficie comprehensa quàm aliter formata corpuscula.

Secunda; *Quantò majori momento duæ quævis moleculæ in se invicem impingunt tantò firmiùs ea cohærere, ægriùsque divelli.*

Tertia denique; *Salis moleculas utpote durissimas, planis superficiebus terminatas, & postquam omnem formarum varietatem induisse visæ sunt, pristinæ tamen se suæ facilè reddentes formæ interim invariatæ, quâcunque aliâ corporum specie & firmiùs inter se unita cohærere, & divulsa faciliùs, occasione datâ coalescere.* Planarum enim superficierum commoditate pluribus in punctis se invicem contingere: duritie suâ figuram propriam tueri; unde principia corporum activa & qualitatum activarum fontes habentur: & cùm ad se mutuò propiùs accesserint majori quàm alia corpora vi in mutuos amplexus ruere, majoresque in moles compingi. Hoc autem in corporum animatorum ultimis minimisque præcipuè vasculis

accidit; quorum anguſtiâ lentiſſimoque per ea humorum motu occaſione datâ, ſalis particulæ concreſcunt, non aliter quàm per lixivium diſperſæ, languente ejus motu, in cryſtallos ſe efformant.

§. 4. Sed hæc explicatiùs dicenda ſunt, aliæque regulæ ex his ducendæ quotidiano uſui accommodatiores & quæ propiùs res ſingulares attingant. Ad has tradendas propero.

1. Cætera ſi ſint paria; plantæ & animalia maturiùs adoleſcentia nutrimentum coctu facilius ſuppeditant. Talia ſunt veris munera aſparagi, fraga & acetariæ aliquot herbæ, quæ pyris, pomis, prunis, reliquiſque autumni donis faciliùs concoquuntur. Minùs enim igne ſolari torrida, minùſque compactis partibus ſunt, quæ ſcilicet remiſſiore æſtûs vi, hoc eſt, minore velocitate coaluerunt, pauciores denique, imò nullos ferè ſalis fixi & acris particulas in ſe admiſerunt. In animalium genere, gallinarum, leporum, ovium, cuniculorum, aliorumque intra unum aut alterum annum matureſcentium (hoc eſt, generationi aptorum) carnes, boum, equorum, aſinorumque (nam & his veſci fames aliquando cogit) carnibus teneriores faciliùs in chylum liquefiunt: minore enim vi, ut jam dictum eſt, coaluerunt. De plantis verò tardiùs matureſcenti-

bus, ideoque ſolarium radiorum igne plenioribus, notare liceat, earum ſuccos, à fermentatione, ſubtiliores majorique copià vinoſos ſpiritus dare; uvas teſtor & ſambuci baccas: & de animalibus ſeriùs adoleſcentibus, ex eorum carnibus & humoribus fœtidiſſimum & rancidiſſimum urinarium ſalem elici.

2. Cæteris paribus, quò majorem in molem pro ſpeciei ſuæ modulo excreverit unumquodque animal aut planta, eò difficiliùs concoquendum alimentum præbent. Magna verbi gratiâ cepa, magnum pomum pyrumve minore ejuſdem ſpeciei difficiliùs diſſolvitur. Idemque dicendum eſt de majorum boum oviumque carnibus ratione minorum. Hoc autem non ideo tantùm fit quòd majorum firmiora ſunt vaſa magiſque proinde elaſtica particulaſque majori vi adigentia; ſed præterea, quòd majorum corporum qualitates minorum ejuſdem generis qualitatibus intenſiores ſunt. Ignis, verbi causâ, major igne duplo minore pluſquam duplo majorem fundit calorem, & vinum majore dolio clauſum vino ejuſdem ſpeciei minore cado incluſo valentius eſt. Majorum itaque animalium & vegetantium ſuccos rancidiores eſſe nihil mirum.

3. Cæteris paribus, animalia frugivora & graminivora carnivoris, & quæ citiùs

quàm quæ tardiùs maturescentibus sive plantis sive animalibus vescuntur, item nutrimentum animalculis à naturâ paratum, lac nempe & ova, ipsorum animalium carnibus, faciliùs concoquuntur. Quare gallina & domestica & indica, perdix & phasiana avis, anate, ansere, scolopace & gallinagine (palustribus avibus animalcula è limo suctu haurientibus) boum item oviumque gramine pastorum minore quàm in stabulis saginatorum carnes labore digeruntur. Carnivororum autem animalium carnes difficillimè concoqui illustri accipitrum exemplo clarissimè ostenditur. Ex hoc avium genere eximiâ voracitate conspicuo, cuivis edendi ardore furenti, carnivoræ cujuspiam avis ut milvi, pici, corvi cineritii, carnem si exhibeas; avidè quidem illam vorabit, intactam tamen post aliquot horas regeret etiamsi illam in frustula priùs minutim conciderās. Imò eandem illam vomitu rejectam carnem si denuò aliquoties ingesserit fame coacta, iterum tamen iterumque eam evomet, nullâ utpote ejus ventriculi vi domabilem.

4. Cæteris paribus, piscium omniumque animalium marinorum, quocunque tandem nomine veniant, itemque amphibiorum carnes terrestrium carnibus difficiliùs concoquuntur. Pleraque enim aut aliis marinis

aut animalium terrestrium cadaveribus submersis vescuntur. Præterea, salsa quam incolunt aqua majore vi eorum carnes compingit; quod nos ipsi frigidæ, etiam non salsæ ideoque non tam gravi, immersi experimur. Et si qua aquæ salsæ portio, ut fieri necesse est, eorum corpora ingrediatur, eorum ea salinariis suis spiculis partes figit & indurat. Quâ posteriore de causâ marini etiam fluviatilibus piscibus coctu duriores sunt. Testudinem marinam terrestri difficilius concoqui experimur, ut & acipenserem rhombumque trutta aut percâ.

5. Cæteris paribus, eæ plantæ & animalia quæ substantiâ sunt oleosâ, pingui & viscosâ iis quæ sicca, carnosâ & fibrosâ constant materiâ lentiùs digeruntur. Oleosa enim, cùm facultatis coctricis vim eludunt, tùm omni aliâ materiâ præter salinam (observante summo philosopho * Neutono) arctiore complexu cohærent, partibus nempe validiùs se invicem attrahentibus. His adde eorum mollem humorem, fibras organorum tenaci humectatione resolventem. Ipsa præterea pinguedo oleumque vesiculis non facilè rumpendis conclusa est. Quare omne nucum genus per intestina fere intactum labitur. Olivæ pisis, carnes pingues

* Quæst. 7. ad fin. optic. edit. lib. 2. pag. 3. prop. 10.

macris, cyprinus, tinca, salmo, anguilla, rhombus, asino, asello molli, truttâ, percâ lentiùs concoquuntur. At contra si alimenta quomodocunque exarescunt & indurentur, difficiliùs digerentur; ita ut carnes aliàs tenerrimæ, agnina, vitulina, & pullorum salitæ, fumo induratæ, aut etiam temporis diuturnitate siccatæ & rigentes, imò ipsa vegetabilia condita, ne bubulæ quidem aut ferinæ carni coctionis difficultate cedant. Hâc de causâ fabæ, pisa & caseus, cum vetustate exaruerunt, iisdem novis & mollibus tanto coctu duriora sunt. Næ, tantâ indurandi vi ignis pollet ut ex ipsis teneris vegetabilibus, evaporatâ humidiore portione, substantiam excoquat duritie vix adamanti cedentem; vitrum dico, quod ex vegetabilium salibus solis quanquam vulgò non conficiatur, confici tamen potest, nec unquam sine iis conficitur.

6. Cæteris paribus, vegetantium animaliumque substantia albidior fuscâ aut rubicundâ tenerior & stomachi viribus obsequentior est. Minoribus enim partibus constant, minùsque sale urinario abundant priora posterioribus. Ut rapum, pastinaca alba, battata, sisaro, berâ rubrâ & pastinacâ tenuifoliâ: gallina, gallopavo, phasianus, anate, ansere, gallinagine, scolo-

pace: aſellus mollis, perca, ſolea, paſſer, halece, ſalmone, acipenſere, ſcombro: cuniculus, agnus, vitulus toto cervino genere, faciliùs concoquuntur.

7. Denique, cæteris paribus, nutrimenta cùm ex animalibus, tùm è vegetabilibus parata pungente & aromatico ſapore linguam fortiter ferientia inſipidis aut mitiore ſapore molliter gratìs difficiliùs digeruntur. Sapidiora ſalibus magis fœta ſunt, quod non niſi adultis aut ſeriùs matureſcentibus animalibus contingit, ideoque partes habent difficiliùs ſejungendas. Plantæ item aromaticæ ſolarium radiorum ignem majori copiâ hauſtum retinent arctiùs, eoque (ſit verbo venia) ſolidi ſpiritus aut fixæ flammæ fiunt: quarum quantum quis voraverit, tantam incendii materiam paraverit, quo ſeriùs ocyùs conflagratura eſt univerſa corporis fabrica.

§. 5. Omnes jam traditas regulas unicâ obſervatione illuſtremus ſimul & confirmemus. Chylus, unanimi omnium conſenſu, non aliud eſt quàm ipſum nutrimentum ventriculi viribus, cujuſcunque demùm ex generis ſint, in liquorem quendam reſolutum, ei coagulo quod ſive ex vegetabilium ſive ex animalium partibus excoctum gelatinam vocamus haud quaquam abſimilem, ſive humoris utrobique cum ſolidioribus

partibus admistionem spectes, sive coquentem calorem (hoc tantùm intercedente discrimine quòd calori ventriculi, ignis calore longè impotentiori, accedant liquorum penetrantium, moliturae dentium, ventriculique sive attritionis seu mavis volutationis omnia leniter commiscentis auxiliares copiae) seu demùm utriusque liquoris, & gelatinae & chyli, frigescentis coagulationem. Tutò igitur colligere licet, ex quibus vegetabilibus aut animalibus tenacior gelatina excoquitur, ex iisdem chylum itidem lentiorem ventriculi viribus excoqui. Et si cui expiriri libeat quid ex materiae cujusvis alimentariae in gelatinam coctae formâ & specie expectandum sit, qui deinde res ipsa expectationi respondeat: ille praecipuè regularum nostrarum veritatem sentiet. Inveniet, verbi gratiâ è piscibus gluten omnium tenacissimum lentissimumque excoqui: in carnium etiam jure, humoris evaporatione in massam portabilem exsiccato, in usum extemporaneum ferventi aquâ invicem in jus resolvendam; deprehendet longè tenacius id esse quod ex carne bubulâ excoquitur coagulum quàm quod eodem artificio ex vitulinâ paratur. Similiaque, comparatione in reliquis supra memoratis institutâ, deprehendet.

§. 6. Harum igitur generalium regularum

ope, habitâ ſimul temperamenti ſui & conſueti ſibi victûs ratione, quivis imbecillus, ſcientiarum ſtudio aut aliâ quâvis de causâ deſidem agens vitam, aut cui quâcunque demùm occaſione laxior eſt fibrarum compages, nutrimentum ſibi maximè conveniens ex omni plantarum & animalium genere deligere poſſit. Quod tamen ſi minùs accurate aliquando fiat, tutò ſaltem errandum eſt. Id autem hoc in negotio fit, ſi quæ certè inferiora ſunt viribus noſtris coctricibus alimenta adſumamus, iis autem quæ an eas ſuperaturæ ſint non certò ſcitur abſtineamus. Ut tamen quàm fieri poteſt minimè aberretur, uſitatiora alimentorum genera enumerabo in claſſes quaſdam diſtributa, quarum prioribus quibuſque quæ recenſentur facilioris ſunt digeſtionis quàm quæ ſubſequentibus continentur, prout nempe mihi æſtimantur poſt frequenter repetita experimenta non in proprio tantum meo corpore, cùm infirmiſſimum eſſet, ſed & in permultis aliis imbecilliſſimis, quibuſque vires coctrices ferè perierant. Hîc etenim validorum & robuſtorum experientia nullius pretii eſt. Neque, ſi horum firmis validiſque fibris firmiſſimi cibi facilè digerantur, ideo imbecillorum vires iiſdem domandis pares ſunt: ut tenerioris trutinulæ æquilibrium granulo evertitur,

quanquàm validius jugum millepondiis librandis factum vix aliquot unciæ alterutrinque additæ deprimant.

In enumeratione verò alimentorum infirmis convenientium, non supra expositæ tantùm digestionis ratio habenda est, cujus scilicet respectu alia faciliùs alia difficiliùs ventriculi & intestinorum viribus subiguntur in chylum lacteis vasculis subeundis aptum (quæ prima concoctio dicitur) qui deinde in sanguinis canalibus ulteriùs comminuitur variisque humoribus quos glandulæ hîc illîc dispersæ secernunt suppeditandis inservit, donec tandem in corporis nutrimentum aliquâ sui parte cedat (quæ omnia secundariarum coctionum nomine significantur): non, inquam, hujus unius, sed simul etiam aliarum quarundam alimenti qualitatum ratio habenda est. Harum duæ sunt præcipuæ. Prima est ea facultas quâ alii cibi minùs, alii magis corporum nostrorum humores ita accendunt fibrasque irritant ut, eorum circuitu tumultuariâ cum velocitate peracto, globuli sanguinis rubri, quibus admittendis vasculorum ampliora sola naturaliter satis patent, in minimos etiam & exilissimos canaliculos, lymphæ tantùm aut sero vehendo destinatos, adigantur. Unde robustioribus febris aut pulmonis aliusve insignioris visceris inflamma-

tio naſcitur: aliquatenus autem fractis, inflammatorius aliquis morbus è diuturnorum genere, cujuſmodi ſunt arthritis, rheumatiſmus, calculus, &c. His tamen gignendis plerumque non ſola iſta jam dicta alimentorum qualitas ſufficit; niſi adſit & altera illa ex duabus quas modò declarandas propoſuimus. Ea verò eſt, acidarum, acrium & corrodentium particularum copia, quâ humores his alimentis infecti cùm ſcatent, fibras lacerant atque adeò debilitant & relaxant. Tales ſunt ſalis cujuſvis generis acris ſeu aculeati particulæ. Cùm itaque corporis noſtri diſpendia ſolo nutrimento reparentur, ideoque paucorum annorum ſpatio ferè tota mutentur aut renoventur: utiliſſimum erit infirmis ex ſequenti tabula diſcere quibus præcipuè alimentis adhibitis in quotidianum uſum, vitiis quibus humores jam infecti ſunt medeatur aut eadem, ſi nondum invaſerint, vitentur, proba denique & idonea illis craſis corporis concilietur.

§. 7. 1. Et primum quidem inter facilè concoquenda alimenta locum do ſeminibus & radicibus farinoſæ materiæ; tritico puta, avenæ, ſaguæ, oryzæ, hordeo, milio, ſecali, piſo, battato, paſtinacæ, fabæ, &c. & horum quidem priori cuique præ quibuſvis ſubſequentibus: quod de ſingulis etiam ſubſequentium claſſium intellige.

farinoſa iſta præcipuèque ſemina (plantarum quaſi ova, nutrimento teneris plantulis aptiſſimo fœta, ipſaſque illas plantulas in ſe continentia) oleribus, fructibus & radicibus ſucculentis, utpote crudioribus & flatus facilè gignentibus, præfero. Blandiorem enim & temperatiorem chylum præbent minimoque ventriculi labore in liquorem, potui commiſta, fatiſcunt. Quod monſtrat infantum pulticula, imbecillis eorum ventriculis neutiquam gravis, nutrimentum vix ipſi lacti ſecundum.

2. Alterum à farinaceis dignitatis gradum tenent, me judice, radices humidiores & olera; primùm temperata, ut lactuca, ſpinachia, portulaca, acetoſa, braſſica, &c. deinde & calidiora, ut apium celere, naſturtium, radicula, &c. Hæc tenera & igne cocta crudis & adultis multum præſtant nec flatus gignunt. Diluendis præcipuè & edulcorandis humoribus inſerviunt: quare utilem omninò operam ſcorbuticis præſtant. Huic claſſi omnes fructus accenſe, ſed igne coctos pleroſque, & omnes modicè comeſtos. His legibus uſurpata vegetabilia quovis carnium genere minorem imbecillis ſtomachis moleſtiam creant.

3. Quibus vires coctrices imbecilliſſimæ ſunt & humores viſcidi, proximum ab his locum dent nutrimento à providâ naturâ

junioribus animalibus aſſignato. Id autem lac eſt, mulierum, aſinarum, equarum, vaccarum, ovium, caprarum, &c. Horum priora quæque poſterioribus tenuiora eſſe minùſque coagulo & oleo illo, quod floris lactis & butyri ſpecie in omni lacte conſpicitur, abundare exiſtimo; quâ ſolâ de causâ alia aliis faciliùs digeri mihi videntur. Unico autem incommodo lactis eſus, inter prima ſaltem initia, obnoxius eſt. Periculum nempe imminet ne in juſto tenacius coagulum in ventriculo mutetur. Juſto, inquam, tenacius: nam acidis qui etiam ſanorum ventriculis & inteſtinis inſunt ſuccis, quæcunque alimenta coagulari apta ſunt, in tenerum & molle coagulum abeunt: ſi autem acidi iſti ſucci plus æquo abundent, in tenax etiam & durum. Quare ut morboſâ iſtâ acidi copiâ laborantibus lac poſtmodùm conveniat, præter repetitam vomitionem & purgationem, farinaceorum priùs vegetabilium aliquandiu continuatum uſum præſcribo, quo acidi humores edulcorentur. Horrenda enim ſymptomata ex lactis intempeſtivo uſu naſci poterunt, ventriculo ſcilicet acidis abundante nec priùs purgato adhibiti. Nobilis quædam fœmina nephritide laborans lacte plerumque veſcebatur. Ea tamen, ſtatim abhauſto lacte cùm ſpiritûs nitri viginti aut triginta guttas aquæ Briſtolenſis calici

inſtillatas ebibiſſet, vix ſuffocationis periculum effugit. Quidam etiam dum fœdas venereæ luis ſordes mercurio incitante expueret, hauſto copioſè recenti & ab uberibus calenti lacte itidem penè ſuffocatus eſt. Et verò neuter evaſiſſet niſi pituita, quâ utriuſque ventriculus nimiâ abundabat, coaguli duritiei, ei commiſta, obſtitiſſet: quo factum eſt ut illud, dum evomeretur, œſophago ſe tanquam formæ aut matrici accommodaret, nec illùm obturaret. Neque diu eſt cum vir cætera ſanus & robuſtus, poto priùs liberaliter, non tamen ad ebrietatem uſque, vino Burgundico & Campanienſi Gallico, hauſtu deinde pleniore recentis ab ubere lactis intra paucas horas perierit. Acerbiora enim vina ita coagulum induraſſe videntur ut nullo ventriculi nixu per œſophagi cavum tranſadigi potuerit. Hujuſmodi exemplis monemur ut talia in poſterum incommoda præcaveamus. Hoc autem fit ventriculi & inteſtinorum ſuccos farinaceorum eſu priùs leniendo (quorum inſuper admiſtione fit ne, his etiam nondum ſatis lenitis, coagulum juſto durius evadat) aut lacti admiſcendo ſive ſpiritûs ſalis ammoniaci aliquot guttulas; ſive aquæ pæoniæ compoſitæ cochleario aut ſacchari denique fruſto: horum enim quovis ejus coagulatio impeditur.

4. Lacti ſuccedit oleum, atque recens butyrum & caſeus è lacte nata, & ova illi congenera, varia denique è farinaceis, lacte, butyro, ovis compoſita. Oleum tamen & butyrum, ſi liberiùs utaris, nec facilè concoquuntur & viſcidos humores gignunt; lenta enim & tenacia ſunt. Eadem puta de caſeo qui diuturnitate duritiem acremque & mordicantem ſaporem contraxit: multùm tamen carnibus digeſtionis facilitate præcellunt hujuſmodi alimenta, nec infirmorum ſtomachis æquè ac illæ gravia ſunt.

5. Proximum ab his locum tenent animalium juniorum carnes albæ & teneræ; gallinæ ſcilicet domeſticæ & indicæ atque phaſianæ avis pullorum, cuniculi, agnina, vitulina, hædina, perdiculæ, &c. quæ quò juniores & teneriores ſunt & animali ſale magis vacuæ eò faciliùs digeruntur, blandiorem & fluidiorem chylum præbent, minùſque humores accendunt.

6. Huic proximus alimentorum ordo ex eorundem animalium, ſed adultorum & generationi aptorum, carnibus deſumitur, & omnium quidem manſuetorum ſive domeſticorum, præter unum porcum, quem ad ſequentem claſſem refero.

7. Ea autem comprehendit omnem cùm volucrum tùm quadrupedum carnem quæcunque ferinæ nomine venit, ut ſcolopa-

cis, gallinaginis minoris, querquedulæ, anatis, anseris, leporis, cervi, damæ, hirci, apri, atque etiam porci, domestici scilicet apri, &c. Hæ carnes cùm viscidis humoribus aut sale volatili abundent, quanquam fibras corporis ad vibrationem stimulent & athletici roboris affatim suppeditent, humores tamen accendunt & inviscant, quibus effectibus seriùs ocyùs pravas suas qualitates produnt.

8. Quod ad piscium genus attinet: quanquam inter alios atque alios pisces non parùm discriminis interesse agnoscam, & fluviatiles marinis longè longèque præstare propter causas supra assignatas; in genere tamen pisces infirmis non convenire existimo, cùm supra recensitis rationibus adductus, tùm propterea quod lentum imprimis viscidumque esse omne ex piscium carne nutrimentum ostendatur & tenaci eorum jure & adhærescente eorum squamis, & nonsquamosorum cuti, lentissimo glutine quod præsertim in semisiccis est conspicuum; imprimis verò ex hoc pateat quòd lentissimum quodque glutinis genus in artificum usum, non ex animalium terrestrium, sed è piscium maximè cadaveribus excoquatur. Minus interim veri solidique nutrimenti præbent. Quod Ecclesia sensit cùm pisces jejunantibus & corpus macerantibus præscripsit,

ſit. Non tamen quorumcunque piſcium carnem quorumvis volucrium & quadrupedum carne coctu difficiliorem ſentio. Imò aſelli mollis, paſſeris, ſoleæ, percæ, truttæ, cammari, aſtaci, faciliùs quàm bubulam, ferinam, porcinam, querquedulæ, anatis, anſeris horumque ſimiles carnes concoqui poſſe puto. Horum verò quàm piſcium carnes ſolidius & plenius nutrimentum & plus athletici roboris ſuppeditant. Si quem tamen aut piſcium eſus delectat aut iis veſci neceſſitas cogit, ut ille minùs noxiis uti poſſit, cammarum, aſellum mollem, paſſerem, percam, truttam, ſoleam, ſquatinam, aſellum majorem, aſtacum, oſtreum, cancrum, rhombum, ſalmonem, halecem, ſcombrum, tincam, cyprinum, anguillam, lampetram, acipenſerem, &c. priorem quemque omnibus poſterioribus præferat.

Ferculorum ex variâ recenſitorum combinatione compoſitorum facilior aut difficilior concoctio ex ipſius alimenti naturâ pendens (nam de condimentis poſtea dicetur) facilè colligitur partium componentium indole è præcedenti indiculo cognitâ, & cujuſque quantitate: ita ut nullo labore hoc in negotio pro ſe quiſque dijudicare poſſit, nec ulteriore noſtrâ præceptione opus ſit.

§. 8. Unum tantùm hîc addere libet quo virorum quorundam, cætera doctorum, sive errori medeatur, sive pravo ratiocinio nobis adversanti occurratur. Illi scilicet, propterea quòd observarint vel ex aliis audierint cibum aliquem qui difficilioris digestionis censetur, ut bubulam carnem, hujus aut illius ventriculo minùs gravem incumbere, faciliùsque concoqui quàm vitulinam, agninam aut aliam aliquam facilioris coctionis vulgò habitam; ideò statim concludunt pro nihilo habenda esse omnia generalia de ciborum delectu præcepta, nec aliam hîc regulam agnoscunt quàm privatam cujusque experientiam. Demus hæc vera esse & huic aut illi, ex assuetudine, coctu, faciliorem esse bubulam quàm agninam. Et illud præterea largiamur, quorundam ventriculorum succis aliisve concoctionis instrumentis (attritio enim, quanquam insignem in concoquendis alimentis vim habeat, non tamen sola totum negotium perficere posse videtur) inesse peculiare & privatum quiddam (ut vitulorum stomachis non tantùm vivis sed & exsiccatis & deinde aquâ maceratis exstillat acidior quidam succus lacti coagulando aptissimus) & hujus majores esse in bubulâ, verbi gratiâ, quàm in agninâ resolvendâ vires. Hæc, inquam, gratis concedamus; at quid unus

& alter contra denſa ex adverſo ſtantium agmina, & paucæ exceptiones contra generalem regulam? nam univerſalem, & quæ nullas patiatur exceptiones tradendam non ſuſcepimus. Sed eſto, nec uni & alteri, nec paucis, ſed plurimis iſtud accidat ut cibos quoſdam poſterioribus locis à nobis poſitos faciliùs, quàm qui prioribus recenſentur, eorum ventriculi in chylum reſolvant. At jam non ſemel monuimus non hujus tantùm digeſtionis ſed & aliarum præterea, nec minoris momenti qualitatum in ciborum ſalubrium delectu rationem eſſe habendam, præcipuè infirmis, quorum gratiâ hæc præcepta tradimus. Neque enim hæc eò ſpectant ut quid validis aut robuſtis faciendum ſit aut omittendum doceamus. Oblatâ tamen occaſione, unum iſtud ne graventur etiam robuſtiſſimi à nobis monitum didiciſſe. Quanquam ſcilicet validiora illa & opipara alimenta, potuſque ſpirituoſus athleticis viribus ſuſtentandis utilia, imò neceſſaria ſint: non tamen aut athleticum habitum & robur utilia eſſe aut neceſſaria, aut periculo, eoque graviſſimo, vacare. Aut enim morbum acutum imminere qui vitam iis derepentè præcidat, aut diuturnum tandem adfuturum, cujus ſub cruciatibus miſerandum ſenium (ſi modò ſenium attigerint) exacturos qui, cùm juvenes eſſent, quic-

quid juvenilis firmique corporis robur ferre poterat illi ferendum esse duxerant. Sapientissimi enim Regum dictum esse, *validos validè plecti.*

§. 9. De alimentis arte coquinariâ ventriculo præparandis non est quòd multis edisseram. Assa & elixa imbecillis conveniunt; nec, si sanam longamve vitam ament, provectioris coquorum artis experimenta capere volent. Salita coctu longè difficiliora ipsâ saliturâ redduntur; eorumque frequenti usu humores penitus vitiantur & scorbuticam crasin acquirunt. Fumigatione carnes ex se duræ duriores fiunt; nitrumque & marinum sal, quibus illæ salitæ erant, salis volatilis, quod fumus advehit, additione in ammoniacum transeunt, quo corpora nostra sponte satis aut fortasse nimis replentur. Condita quæ vocant non nimio tantùm acore suo humores inficiunt, sed aromatum præterea ignibus incendunt. Aromata autem, quæ tam familiariter coqui nunc tractant, libenter ego Pharmacopæorum arculis concluderem Medici jussu parcè illinc extrahenda; nec culinæ concrederem grata illa venena quibus & alimenta corrumpuntur & sanitati non levia damna inferuntur. Cupedias artefactas, opima jura, acida acriaque condimenta, salsamenta, artocreata & fumigata, gulæ irritamen-

ta luxus invenit. Et ne fortè naturali appetitu judice edentibus non ſupra quàm par erat gravaretur ventriculus, artis auxilia quæſita ſunt, ne ſcilicet quidquam ſanitati convellendæ deeſſet! Quantò rectiùs cùm appetitus defecerit, at ſatis interim roboris in reliquo corpore ſuperſit, abſtinentiâ, ſuperflui evacuatione, labore & exercitatione corporis fames vera & naturalis excitatur, quàm condimentis & fallacibus culinariæ artis illecebris ſpuria & noxia invitatur? appetitus certè, ſi cùm morbo gravi extinctus fuerit, Medicis illum auxiliis ciere liceat, cùm tamen ad mediocrem vim ſuccreverit naturæ arbitrio omninò permittendus eſt, nec condimentis nec pharmacis aſſiduè prolectandus.

§. 10. Proximum eſt ut de cibi quantitate dicamus, quæ viribus ſuſtinendis ſufficiat, non item obruendis. Ea quidem pro ætatis, ſexûs, temperamenti, roboris diſcrimine, regionis indole & ſitu, exercitationis denique aut laboris modo & menſurâ varia eſt. Borealium noſtrarum regionum incolis, propter corporum robur & proceritatem, aërem frigidum fibras intendentem, proindeque vires coctrices augentem, laborem denique carnes abſumentem, majores alimenti ſuppetiæ neceſſariæ ſunt, quàm gracilioribus calidiorum ad auſtrum

regionum habitatoribus; adolescentibus item quàm adultis; & his quàm senio confectis. Sed omnibus omnium generum hominibus victus mediocris & temperatus longè saluberrimus & ad vitam producendam utilissimus est. Cui modum mensuramque præscribam postquam exemplis aliquot, è millenis quæ adferri possent non tam selectis quàm, quòd prima occurrerent, arreptis ostendero quid temperantia, præsertim exercitatione adjuta, præstare queat.

§. 11. Vix credi potest quantillo alimento, cibi nempe, si Cassiano fides, unciis duodecim in singulos dies, Christiani Orientales in Ægypti & Arabiæ deserta loca ethnicorum injuriis compulsi, sani vitam multos in annos extenderint, sitim interim aquâ purâ sedantes. Ex iis D. Antonius pane solo & aquâ, nisi quòd ingravescente senio oluscula sibi indulserit, ad centesimum & quintum annum vitam toleravit. Jacobus Eremita annum attigit centesimum & quartum: Arsenius, Arcadii Imperatoris præceptor, centesimum vigesimum; hic autem annos natus sexaginta & quinque eremum ingressus est. D. Epiphanius quindecim & centum annos vixit: D. Hieronymus circiter centum: Simeon Stylites novem & centum: Romualdus centum & viginti. Et Ludovicus Cornarus, nobilis Ve-

netus, nobis & loco & tempore propior, frustra adhibitis aliis remediis & nullâ aliunde affulgente vitæ spe, quadragenarius ingens opus aggressus temperantiæ tamen præsidio perfecit ut annum centesimum superaverit integrâ fere valetudine. Neque minùs mirandum est quanto cum corporis vigore & robore animique tranquillitate & alacritate multos annos numeraverint sobrii aliquammulti Boreales temperato victui à primâ pueritiâ assueti. Buchananus noster Laurentii cujusdam piscatoris Orcadensis meminit, qui plusquam centenarius uxorem duxit, & non nisi centum & quadraginta annorum oneri succubuit, temperantiâ & labore suffultus. Joannes Spodissvodus Archiepiscopus fani D. Andreæ Kentigernum, postea Mongæ nomine apud nostrates clarum (cuique fontis celeberrimi in agro Eboracensi aquam sacravit majorum nostrorum pietas) narrat annos explevisse centum octoginta & quinque, neque post primam adolescentiam vinum aut liquorem quemvis non tenuem degustasse, sub dio præterea nudoque in solo cubuisse. Vivum etiam appello testem Vebbium meum vegeto corpore animoque virum plantis solis & aquâ meracâ victitantem. De Medico Croidonensi * aliàs dixi, cui postea à lacte cognomen ad-

* Tract. de arthrit. §. 64.

hæſit. Hic ſolis lacticiniis paſtus herculei morbi vires fregit qui illum aliquandiu miſeris modis habuerat; deinde annos quatuordecim illibata ſanitate tranſegit, tandemque caſu fortuito ſublatus eſt. Henricus Jenkinſius piſcator centum & ſexaginta & novem annos vidit victu vulgari & acido (verba ſunt optimi doctiſſimique viri, D. Tancredi Robinſon Medicinæ Doctoris † de eo narrantis) hoc eſt, refrigerante, uſus aëremque frigidum & ſerenum ſpirans, Allertoniæ ad Sualam fluvium in comitatu Eboracenſi. Notiſſimus Anglis Parrus ſedecim tantùm annis ab hoc defecit. Hic caſeo, lacte, pane furfuraceo, cereviſiâ tenui & lactis ſero vitam ſuſtinuerat; & per plures annos duraviſſet niſi purum ſerenumque ruris aërem Londinenſi impuro & craſſo, ſimplicem, vulgarem & ruſticum victum lautiore urbano, ſerumque lactis ſuum vino non ſuo mutaſſet, nobilis Angli menſæ opimæ adhibitus. Hinc œconomia animalis turbata, vires coctrices oppreſſæ & brevi ſubſecuta mors. Mart. Liſterus, Medicus ſcriptis ſuis orbi erudito notiſſimus, octo Anglorum Borealium * meminit, quorum qui pauciſſimos annos, is centum; qui plurimos, centum & quadraginta vixerat.

† Act. philoſ. reg. ſoc. angl. compend. v. 3. p. 308.
* Ibid. p. 108. 109.

Omnes autem montosi ejus tractûs incolas monet victu uti minimè delicato. Et verò nulla regio vitæ prolongandæ aptior videtur iis Angliæ locis ubi cum solo cretaceo mobilis purusque aër ad incolarum sanitatem conspirat, præcipuè si his addatur victus temperatus cum debita corporis exercitatione.

§. 12. † Alibi ostendere conatus sum quantum alimenti satis sit mediocris staturæ homini, vitæ genus minùs laboriosum sectanti, ut vegetus sanusque vivat: octo nempe carnium, & duodecim panis reliquique vegetabilis alimenti unciæ, cum vini unâ librâ in singulos dies. Sed parum firmæ valetudinis hominibus & litterarum studio aut quâcunque demùm causâ desidentibus, aliquid etiam de hoc pauxillo minuendum est, si sani & alacres vivere velint. Talibus enim minor alimenti copia sufficit, quàm labore exercitis sufficeret. Exercitationis enim defectu cùm minùs perspirent, minùsque validè alimenta subigant conterantque, &, quod litterato in otio viventibus proprium est, animi intensione plus fibris decedat firmitatis, quàm labore corporis decederet: si liberiori victui parùm modò indulgeant, laxantur iis nervi, hebescit stomachus, lentescunt omnes corporis humo-

† Tract. de arthrit. §. 29.

res. At cui ad intellectûs officia obeunda ſereno alacrique animo opus eſt, ei omni ope nitendum eſt ut valenti ſit ſtomacho. In eo enim ſi cruda ſtabulari ſinat, obſcuris brevi nebulis mentis arcem circumfuſam ſentiet. Hujus præcepti parùm curioſæ fidæque obſervationi litteratorum magna pars ingentem malorum acervum in hypochondriis natum, anxiumque & dejectum animum debet, triſtitiâ horrendiſque vanarum imaginum terriculamentis miſerrimis modis diſcruciatum, alacri gaudio, ipsâque meliorum rerum ſpe, omni denique malorum ſolamine, &, quæ ea ferat, fortitudine, deſtitutum. His autem tantis ut occurratur malis, mediocritate tantùm victûs, modicâque corporis exercitatione opus eſt.

§. 13. Quæ autem his neglectis corporis plenitudo ſuccreſcit, lentoris humorum & infractionis canaliculorum parens; hanc diuturnorum omnium morborum, præproperæ & infirmæ ſenectæ, vitæque medio in decurſu reciſæ cauſam facilè agnoſcas, ſi attendas, evacuationum maximè uſu illos ſanari, hæc præcaveri. Venæ enim ſectione, cucurbitulis, veſicatoriis, fonticulis, catharticis, emeticis, ſudorificis, an non manifeſta fit evacuatio & ſupra modum ingeſtorum abſumptio? Sed & ipſius abſtinentiæ, exercitationis, medicamentorum item

alterantium, cardiacorum nempe, alexipharmacorum & ſtomachicorum amaricantium uſu hoc ferè aſſequimur, ut craſſiores humores attritu comminuti promptiùs è corpore expellantur, quò eorum in locum ſuccedat ſuccus novus diligenti trituratione elaboratus, apta reficiendis carnibus exhauſtis materia. Evacuatio autem cùm periculo non careat; eâ non indigere certè tutius eſt, ſed &, quod ægris bene vertat, facilius. Quod enim venæ ſectio, quod cathartica, quod hidrotica præſtant, idem in diuturnis morbis (celeres enim lenta medicamina antevertunt) præſtat per quatriduum aut quinque dies cænâ abſtinuiſſe, carnes non attigiſſe, vino caruiſſe.

§. 14. Quare omnibus ſedentariam, deſidem & labore immunem vitam degentibus auctor ſum ut parco eâtenus victu utantur, quâtenus corporis viribus animique alacritati eundem non officere ſenſerint. Quod ſi illos torpor, inquietudo, laboris faſtidium invaſerint, aut inſomnes agantur noctes; continuò accuratiùs abſtinendum eſt, carnium nempe conſuetarum & potûs meraci ſoliti dimidiâ tantùm parte tamdiu utendum, quoad vires ſolitæ cum alacritate reddantur: vel potiùs cerealibus ſolis aliquamdiu vinoque aquâ copioſiore temperato vivendum. Imò ſi ſanitatis vegetique ſeni.

deſiderio tangantur; legem ſibi ferant non violandam, ut tertio aut quarto quoque die carnibus abſtineant. Hoc autem ſi non liceat aut non placeat, cathartico aliquo utantur ex eorum genere quæ domeſtica aut familiaria vulgò audiunt, quæ nempe nec quotidiana negotia impediant, nec victum ſolito accuratiorem poſtulent, quæque dùm noxios ſuccos ejiciunt, ſimul viſcerum fibras roborent. Tales ſunt pilulæ ex aloë & extractis amaris compoſitæ, noſtratibus Scoticarum nomine notiſſimæ numero ſex aut ſeptem; pilularum ſtomachicarum cum gummi dictarum ſemidrachma cui, ſi ſegniùs munere ſuo fungatur, diagridii tria quatuorve grana admiſceantur; pilularum Ruffi tantundem; tincturæ hieræ picræ unciæ duæ affusâ drachmâ ſyrupi è rhamno cathartico; elixiris ſalutis duæ rreſve unciæ; aut, quod omnibus prætulerim, pharmacum è rhabarbaro hoc artificio paratum.

Rhabarbari lectiſſimi in pulverem triti duas cum dimidiâ uncias, ſalis abſinthii unam drachmam, corticum malorum aurantiorum ſemunciam, coccinillæ ſemidrachmam macera in ſpiritûs oryzæ libris duabus, loco tepenti, per totos duos dies. Humorem colatum

phialæ vitreæ diligenter deinde obturandæ infusum asserva.

Cujus cochlearia duo aut tria alternis noctibus, aut quoties quidem commodum erit, epota, nullo solitorum negotiorum impedimento, magnum sanitatis munimen tuto adhibeas, ad maturumque, si opus sit, senium continues. Vere enim Verulamius nostras, « *nihil magis conducit ad sanitatem & longævitatem quam crebræ & domesticæ purgationes.* » Ut verbo dicam, litterato otio dediti & chartis impallescentes omninò audiant Carolum Scarburium Equitem auratum Medicum Anglum his verbis nobilem quandam fœminam lepidè monentem, quæ firmam quidem valetudinem, sed quæ luxum tamen comitem pateretur, exoptabat; « *aut minùs opiparè tibi vivendum est, aut corpus pleniùs exercendum, aut pharmaca devoranda, aut ægrotandum est.* »

§. 15. Qui de sanitate scripserunt plurimas tradiderunt regulas quarum ope quis dignoscat an nimiâ se nutrimenti copiâ impleverit. Unica mihi videtur satis esse; si quis nempe, post horam à pastu unam, digestionis promovendæ causâ, otio aut amænioribus colloquiis datam, animi se laboribus minùs aptum senserit; nimium se aut

dapibus aut poculis indulsisse sciat. Quod de iis dictum volo quibus id negotii datum est ut animum excolant. Qui enim corporis labore victum sibi quærunt, necesse est etiam corporis rationem habeant, quod, ut labori sufficiat, uberius nutrimentum postulat. Ad quam se normam imbecilles, præcipuéque litterati, si componerent; morborum chronicorum medela haudquaquam Medici opem postularet. Neque, si non ultra tertiam cibi sui partem è carnibus peterent, reliquas vegetabili alimento supplerent, & aquam vel puram vel vini pauxillo mistam, aut tenuissimam & defæcatissimam cerevisiam biberent, ipse appetitus ad peccandum alliceret. At luxuriosa dapium varietas, luxuriæ lena ars coquinaria, vinumque meracum identidem inter fercula devoratum ita languentem excitant stomachum: tenerâ matrum indulgentiâ & perniciosâ nutricularum in cibis ingerendis sedulitate, ita laxâ facti sunt ventriculi cavitate à primâ usque infantiâ, ut lautiore in re natis minùs tutum sit appetitûs arbitrio se, in dimetiendâ cibi potûsque quantitate, credere. Quod tamen plerisque omnibus usu venire stupendæ sanè dementiæ argumentum est. Credunt scilicet belli homunculi luxu otioque & proinde laxissimâ enervis corpusculi compage diffluentes, posse

ſe condimentorum aculeis vinorumque generoſorum fervoribus reſidem ventriculum ſtimulare, urere, neque interim his ignibus liqueſcere: cùm vix robur agricolarum, artificumque labor, alimento tenui, ſimplici, è vegetabilibus maximam partem parato, ita terendo comminuendoque ſufficiat, ut maturam iis ſenectutem vegetis ſaniſque attingere concedatur.

§. 16. Quando igitur appetitui nulla fides, cibum vero & potum trutinâ quotidie expendere nimis laborioſæ & ſingularis ſubtilitatis ſit; regulam exquiramus minimè fallacem quæ nec appetitûs fraudibus obnoxia ſit nec operoſitate ſuâ tædium adferat. Ea autem eſt, *oculo judice carpere cibum.* Deprehensâ enim vel bilancis auxilio vel repetitis experimentis carnium (in his quippe majus ineſt periculum) ſive mole ſive buccellarum numero, eâque vini quantitate quâ uſi alacriores nos vegetioreſque ſenſerimus vitæque muniis exequendis aptiores; non difficile erit in poſterum eandem quantitatem oculo dimenſam uſurpare. Hâc menſurâ utentes magna imbecillorum pars invenient non longè ſe aberrare (ſummâ enim accuratione non eſt opus) ſi prandio non majorem carnium quantitatem adhibeant quàm gallinæ utramque alam aut alterutram cum coxa, ovillæ quod car-

nis tribus costis incumbit, duo ex armo aut coxâ qualia elegantiores cibicidæ distribuere solent segmenta, rejectis membranis & pinguedine; bubulæ tandem minorem etiam quantitatem. De similibus similia dicta puta.

Carnium opipara jura, eaque coagula quæ gelatinæ vocantur, quantum æquale ipsarum carnium pondus tantundem ferè alimenti in se continere autumo, nihiloque faciliùs concoquendi. Tria aut quatuor eorum cochlearia, qualia sorberi solent, unciæ pondus explent, buccellarum autem carnis ferè duplus numerus. Hæc vero propiora sunt: & summam accurationem minùs necessariam credimus, quandoquidem ita fabricata sunt corpora nostra ut quanquam à vero paulùm aberremus, sive modum excedentes, sive ab eodem deficientes, non ideo statim pereat sanitas.

§. 17. Sed hîc, occasione datâ, de piscium & suillâ carne monitum addere liceat. Hâc imbecilles, præcipuè litterato in otio degentes, tanquam Judæi abstineant. Nullum enim animal fœdiore quam sus se ingurgitat alimento, aut cutaneis morbis opportunius vivit, nullius caro stomacho molestior incumbit, nullius denique succi rancidiores aut putredini magis obnoxii sunt.

Quâ postremâ de causâ, * peste aut quovis epidemico grassante morbo, sapientiores quæque gentes turpis hujus animalis genus internecione delent, ut australiores populi fervente æstate canum deleto fere genere ab eorum rabie maleficâ sibi cavent. Neque de piscibus plerisque mitiùs censeo, iis præsertim quibus consuetum habitaculum salsa maris aqua est, fluviatilis temporaneum tantùm diverticulum ovis tutò ponendis commodum. Hâc de causâ cùm ex particulis arctiùs cohærentibus coaluerint, difficiliùs digeruntur. Præterea, ut supra monui, piscis piscem & quodvis alterius animalis cadaver objectum vorat. Carnivora autem animalia mensis minùs apta sunt. Eorundem porrò humores sale fœti sunt sanguini humano turpiter fœdando & morbis proinde diuturnis gignendis opportuno. Observantur item piscium esui plus æquo dediti scorbuto aliisque quà cutaneis, quà corrupto sanguine cretis morbis magis obnoxii esse. Et piscibus quantùmvis recentibus pleniùs pasto intensior solitâ oboritur sitis; torporque obrepit solo vino meraco ejusve spiritu levandus (cujus rei ita usus invaluit ut in proverbium abierit, *pisces sine vino vene-*

* Caro porcina in peste præsentaneum venenum est. Vide Em. Timonem de peste, anno 1712. Constantinopoli grassante, in Act. Philosoph. No. 364. pro Mense Jan. &c. 1720.

num) ; inſequenti denique nocte, non tantùm cùm veſpere ſero ſed & ubi circa meridiem peccatum eſt, inquietior & interruptus ſomnus.

§. 18. Deinceps de potu, alterâ victûs parte, dicamus, cujus præcipuus uſus eſt cibum diſſolvere & diluere, eique vehiculi loco eſſe ut chylus ex utroque factus facilè per minutiſſimos quoſque corporis canaliculos tranſire poſſit, ſalem præterea liquare & ſuperfluum extra corpus per urinæ vias derivare. His uſibus cùm aqua optimè inſerviat; nullum certè aquâ præſtantius potûs genus reperiri poteſt. Et reverâ, nihil quidquam, non dico animalia reliqua, ſed ne vel ipſi homines bibimus præter aquam aut ſimplicem puramque, aut varii generis alienâ materiâ vel à naturâ vel ab arte fœtam. Nam mercurium, aërem, lucem (ſola præter aquam ſimplicia fluida) prædictis uſibus omninò inepta experimur. Aqua igitur ſola verè potûs officia præſtat. compoſiti autem illi liquores qui cereviſiæ, vini aut alio quovis nomine bibuntur, non tàm potus quàm dilutiora nutrimenta, aut medicamenta calidiora ſive cardiaca aquæ permiſta, cenſenda ſunt. Pro variâ igitur materiæ admiſtæ naturâ, variâque ad aquam, quâ temperatur, quantitatis ejus ratione,

plùs minùsve sanitati aut prosunt aut obsunt varia potûs genera.

Quod itaque in cibis supra factum est; nunc potus usitatiores eo ordinè recenseamus, ut primo loco veniant simpliciores & infirmis utiliores, deinde minùs nocentes, ultimo denique illi qui, nisi parcissimè adhibeantur, infirmos obruant potiùs quàm suffulciant aut dejectos erigant. Eos autem earundem quas * supra in cibis recensendis respeximus qualitatum ratione habitâ distinguemus & ordinabimus. Hic ergo sit potulentorum ordo minimùm à vero aberrans; nam ad minutias usque accuratissimum describere, nec operæ pretium est, nec forsan fieri potest. Aqua simplex & pura, pulmentum dilutissimum ex farinæ pauxillo aquæ incocto, ptisana, lactis serum aut simplex aut salviâ incoctâ vel vini albi parvulâ admistâ quantitate medicatum, cerevisia tenuis, hydromeli sed simplicissimum nec aromatis conditum, vinum pomaceum & pyraceum tenue, vinum Rhenanum, Gallicum rubellum vulgare, Campaniense Gallicum, Olysipponense album, Burgundicum, rubrum Lusitanicum, Gallicum rubrum australibus regionibus proveniens, rubrum Olysipponense, album Hispanicum, montanum album vetus, Maderense, Fron-

* §. 6. Hujus.

tinianum, Cyprium, Tokæenſe, ſpiritus cereviſiæ, ſpiritus vini dilutior, Barbadenſis aqua, ſpiritus vini iteratâ deſtillatione depuratior, aqua Hungaricæ Reginæ, &c. Ecce vulgatiora ex infinita pene multitudine potulentorum quæ nova in dies luxus excogitat. Ex his infirmi, ſi naturam vera monentem audiant, ſimpliciora quæque præ reliquis æſtiment. Aquam, procul omni dubio, primam & præcipuam hominibus potionem natura dedit, omnibus utique potûs officiis præſtandis unicè idoneam. Et o felicem gentem humanam! ſi aquam puram & innocuam bibentes omni mixto & factitio potionum genere, artificis luxuriæ invento, careremus. Magnâ cum animi voluptate obſervavi ſolam aquam bibentes, quanquam carnium eſui liberiùs paulò indulgentes, vegetos benèque valentes, alacres & dolore immunes maturum ſenium attigiſſe. Aqua una omnia potus munia adimplet: at potulenta artefacta ſpiritibus fœta quotidiano uſui natura non deſtinavit. Et fuit cùm ſolius Medici arbitrio biberentur, à Pharmacopolis unis petenda, laboris lenimina, imbecillitatis ſuſtentacula, languentis & dejecti animi ſolatia. Et æquo quidem jure ageret qui fervidiſſima quævis eorum quæ hodièque in pharmacopoliis aſſervantur medicamenta menſis adhiberet

(& verò quibus tandem ſe finibus continebit eorum inſania qui jam opio hauſtus ſuos, hilaria inquam pocula, ditant dicam an venenant!) ac qui vina quæque generoſiora ipſumque vini ſpiritum (aquâ quidem dilutum, ſed tamen vini ſpiritum) apertis faucibus ingurgitant. Vinum beatioribus nunc dierum aquæ vice eſt, eo ſcilicet ferè ſolo alimenta temperant, vix aquâ aut tenuiore quovis potu deguſtato. Hinc experientiâ teſte inflammato ſanguine ampla arthritidis, calculi, rheumatum, febrium ardentium, pleuritidum, variolarum, morbillorum ſeges, pravorumque affectuum animi rixis, cædibus, impiis in Deum convitiis furentis fomes. Hinc corporis humores incraſſati & ardore ſiccati, fibræque torridæ & quaſi uſtulatæ vitæque functionibus peragendis impares. Nullâ autem naturæ neceſſitate hæc excuſari poſſunt. Quibus enim incorruptæ vigent ventriculi vires, his ad parandos, ut loquuntur, ſpiritus nullo opus eſt potu ſpiritibus fœto: Qui enim hinc proveniunt ſpiritus fugaciores ſunt quàm ut vitæ actionibus vegetis aut animi, rebus utilibus diuturnâ meditatione inhærentis, neceſſariis uſibus ſufficiant. Carnis benè digeſtæ pauxillum quiddam majorem gignit ſpirituum utilium minimèque fugacium copiam quàm decupla ſpirituoſi li-

quoris quantitas. Felices quibus, etſi lautiore in re familiari natis, contigit vinum ante virilem ætatem & prudentiam aut omninò non aut quamminimum bibiſſe! ſive id ejus odio à ventriculi palative fabricâ pendenti, ſive parentum cautelæ, ſeu tandem benignæ illi numinis curæ quâ rebus humanis proſpicit, acceptum referant. His compoſiti animi affectus, ſenſus integri, rerum imagines nitidiores, frænabiles cupidines, illibata ſanitas fuere protemperantiæ mercede fruſtrà aliunde expectandâ.

§. 19. Vini autem & ſpirituum pleniùs hauſtorum multæ magnæque ſunt noxæ. Vini ſalibus & cauſticâ qualitate fibræ animales corrugantur, conſtringuntur & indurantur. Hinc fit ut, à vino liberiùs poto, omnes ſenſibiles evacuationes minuantur, uſque dum ardor ab eo excitatus deferbuerit fibræque ad ſolitum ſuum tenſionis gradum redierint: & quibus familiare eſt, propter cruda quibus eorum ventriculi onerantur, multum aquei aut pituitoſi humoris manè expuere, ut iis parùm aut nihil ejuſmodi liquoris fluat primo poſtquam potationi indulſerint die, nec niſi magno conatu & iteratâ ſcreatione denuò ut liberè ejiciatur effici poſſit. Hâc de causâ in juniorum & alioqui ſanorum febribus depuratoriis, cùm ad criſin tendunt, ſanguine va-

peſcente & fibris multùm laxatis, vini generoſioris cyathis aliquot aut etiam pleniore hauſtu criſis promovetur: eâdemque ope nocturni ſudores febres intermittentes graviores ſubſequi ſoliti cohibentur. Et hæc Sydenhamus prudenter & ex arte ſuaſit. Licet tamen vinum laxatas ægrorum fibras aliquantùm intendendo proſit: non ægrotantibus tamen pleniùs hauſtum plùs obeſt alimenta in ventriculo indurando, quàm ejuſdem fibras conſtringendo juvat. Propterea imbecillis à largiore vini potatione vires coctrices ſolito magis languent. Alimenta enim noſtra non aliud ſunt quàm aut animalium aut vegetabilium fibrillæ; quæ vino perfuſæ indurantur. Eoque magis illæ inanimatæ fibræ vino indurantur quam animatæ ventriculi fibræ roborantur, quòd poſt paucas horas & alimenta & vinum ſtomacho ejiciantur, hoc tamen illis penitiùs commiſtum & eorum ſubſtantiam intimam penetrans (cùm ventriculi aliorumque vaſorum ſuperficiem tantùm tangat) per ſequentes etiam ſecundarias digeſtiones adhæreat nec illa uſquam deſerat. Unde ex vini actione digeſtionis impedimenta creſcunt ſupra ejus adjumenta in ratione ſolidorum ad ſuperficies. Nullâ autem re manifeſtiùs cernitur immodicè hauſti vini noxa quàm proſtrato appetitu & digeſtionis

imbecillitate illud subsequente; & vegetiore appetitu validioreque digestione vina non bibentium. Concedo vinum omnemque valentiorem potionem robustis roboris athletici & laboribus ferendis utilis incrementa, in præsens saltem, adjicere. At nec ego artificibus & operariis præcepta trado, sed imbecillis & sedentariis; & adventitio isto robore fibræ maturiùs deteruntur, omniaque proinde organa vitiantur; ut, circumpositâ radicibus suis calce, arboris cujusvis fructus quidem maturantur, at vires citissimè exhauriuntur. Quod ad spiritus attinet; ii insigni vi causticâ pollent. Animalium enim fibras non ipsum ferrum candens aut lunare causticum certiùs, quanquam citiùs, adurit aut corrumpit. Notum est quantâ vi fibras constringant in sanguinis fluxu sistendo. Depuratiore enim vini spititu non minùs quàm styptico quovis validissimo discissæ venulæ aut arteriolæ corrugatur osculum: & cutis tenera, derasâ cuticulâ, non minùs vini spiritu quàm fervente aqua aduritur. Neque spiritus ardentes vinosi è vegetabilibus educti, à volatibus ex animalibus elicitis multùm differunt nisi vis causticæ intensione, & quod hi salibus pungentibus, aculeatis, urentibus, illi oleo inflammabili abundent, & hi propterea illis & citiùs & profundiùs urant: urant, inquam,
non

non ardeant; nec enim inflammari possunt. Utriusque quidem generis spiritus repetita destillatione depurati (quod vocant rectificare) facilè evaporantur, at diverso modo; vinosi nempe flammæ formâ, alteri specie fumi relictâ merâ insipidâ aquâ. Utrique igitur cautè parcèque usurpandi sunt, nec nisi necessitate cogente; non ad sanitatem conservandam, sed ad instantem mortem aut grave periculum avertendum. Non enim, cùm spirituum aut vini intempestivè aut immodicâ copiâ adhibiti noxas enumero, easque ex ipsâ rei naturâ inevitabiles esse ostendo, usum necessarium improbo, sed abusum vitupero.

§. 20. Qui autem intemperanti liquorum spirituosorum potationi assueverunt, absurdissimam excusationem adferunt cur in eodem tramite pergant; ne scilicet qui jam diu inolevit mos non tutò relinqui possit, præcipuè si statim relinquatur. At in flumen delapsum & jamjam submergendum aut quem flammæ mox voraturæ sint, si apud amicum hominem, illum inde erepturum, de periculo subitæ mutationis seriò caventem audieris, ridebisne? aqua, fateor, aut ignis citiùs, at neutrum igneis hisce poculis certiùs, annos misero mortali præcidet. Fatalibus autem illis potationibus siquid subest mali, siquid sanitati adversum, si-

quid corporis humores corrupturum: quid, quæſo, nocet creſcenti malo vel ſubitò poſuiſſe obicem? morbo acuto correptus non ceſſat malis ſuis poculis valedicere quantùmvis aliàs dilectis. Hîc tamen, ſi uſpiam, ſubitæ mutationis non tantùm majora eſſent mala, ſed & præſentiùs inſtaret periculum. Cùm enim hoc in caſu omnes corporis humores impenſè ferveant, mutationes & faciliùs fiunt, & minores plus periculi adferunt. Præterea ſi fomite morbi ſubtracto fatum impendeat, eodem liberiùs appoſito non longè utique diſtabit. At quid, quæſo, illud eſt quod tàm ægrè ferunt ſibi eripi? nimiumne & noxium, an ſecùs? Si nimium eſt, ſi nocet; quid ceſſant circæa pocula ocyùs deponere? Aut ſi illos ludit amabilis inſania bibendi; nè ſaltem graventur ea ſibi ab amico monitore è manibus excuti. Si neque nimium eſt neque noxium: non id illis ego invideo, aut præcepta noſtra extorquent. Iterum tamen iterumque moneo ne cupidinem ſibi ſuam neceſſitatis ſpecie imponere patiantur; nec quod gulæ aut, ut molliſſimè dicam, genio datur, id ſanitatis causâ fieri ſe ſibi perſuadere ſinant. Sunt qui non ritè intellectam Hippocratis ſententiam noſtræ adverſari credant. Cùm enim divinum ſenem de ſubitâ ab altero ad alterum extremum mutatione

caventem audiunt, re non pensitatâ statim omnem & præcipuè citam mutationem horrent. At non ego cuiquam suadeo ut à plenissimo victu & quotidianâ nimii cibi potûsque ingurgitatione, continuò ad victum exquisitè tenuem & jejunium transeat. Neque ego majoris aut magis subitæ mutationis, etiam morborum jam genitorum primas impressiones sustinentibus, & quasi præviis futuræ pugnæ velitationibus lacessitis auctor sum, quàm sit idem ille Hippocrates ægrotare periclitantibus quidem sed in præsens vegetissimis & sanissimis, cum athleticum corporis habitum non cunctanter solvi præcipit. Et cùm, eodem autore, valetudo uno in loco aut gradu consistere nequeat; viderint strenui potores, atque etiam odiosi illi & ignominiosi furtivi bibaculi, clàm nulloque teste pergræcantes, utrum continuatâ intemperantiâ suâ, an maturo ad temperantiam reditu verisimilius sit in melius mutatum iri eorum sortem. Minimè profectò dubitandum est certam quandam esse & determinatam cibi potûsque quantitatem cuicunque cujusvis hominis virium & sanitatis gradui congruentem. Hanc qui deprehensam diligenter observat; ille verè temperans est dicendus, ille sanitatem diutissimè tuebitur. Qui ejus limites excedit ille impari congressu vires

ſuas cum fortiore hoſte committit, cui neceſſe eſt ut tandem ſuccumbant. Qui ab hâc deficiunt, certè contra ſanitatem peccant. At hi ita pauci ſunt, iique aut omnium rerum præ triſtitiâ & deſperatione, aut terreſtrium omnium præ cœleſtium ardore ita incurioſi & negligentes, ut inutiliter omnino illis de ſanitate præcepta traderentur, præcipuè quæ curandi corporis modum docerent.

Ex dictis ſatis elucere puto infirmo eos uti ratiocinio qui, ſive ſuo ſive alieno luxui patrocinantes, magna intemperantem victûs rationem in temperantiorem mutantibus pericula imminere crepant. Sed & rei veritas malè conſtat. Quoſcunque enim mihi videre contigit relictâ diutinâ comeſſandi conſuetudine (neque verò contemnendus eſt eorum numerus) temperantiæ legibus derepentè ſe addicere; audacter affirmo, eorum nulli inde mali quidquam accidiſſe; multa autem è contra bona redundaſſe. Viribus penitùs fracti vitam ulteriùs producebant, & morbos inſanabiles faciliùs tolerabant quàm quiſquam Medicorum illis ſpondere ſuſtinuiſſet. At quibus aliquid ſupererat virium, ii meliùs meliuſque ſe habebant tandemque propoſitum ſibi finem aſſequebantur. At unde quæſo periculum imminet? Non enim ego tam inſignem om-

nibus mutationem ſuadeo, nec vinoſis omnimodam à vino abſtinentiam impero. Unam enim vini libram in ſingulos dies conceſſi. Quæ ſi cupidini non ſufficit, ad ſanitatem tamen quantumvis compotationi aſſuetis ſatis eſt. Imbecillis autem & literarum cupidis, qui compotationibus non aſſueverint ſatis erit inter prandendum tribus aquæ poculis vini pauxillum admiſcuiſſe. A prandio autem totidem vini meri cyathi ſufficient; nec quartum attingent ſi Gulielmum Templium doctum illum Equitem noſtratem audiant, ſapienter ſobrièque dicere ſolitum; primum meâ, alterum amicorum gratiâ ſicco calicem, tertium in uſum lætitiæ; quartum non, niſi inimicis gratum facturus, attingam: multò minùs ſi Eubulum qui, Athenæo autore, primum cratera ſanitati, ſecundum voluptati & amori, tertium ſomno, quartum injuriæ dicabat.

§. 21. Fieri quidem poteſt ut inter temperantis victûs initia, ſubtracto pabulo ſolito, aliquot dies ſpirituum, quam vocant, inopiâ, ſive animo dejecti langueant. Hujuſmodi autem languorem vix morbi nomine dignum cenſeo qui & in præſens patientiâ levior fit, & ſanitate, indolentiâ, animique alacritate brevi ſecuturis abundè penſatur. Taceo eos gulæ tyrannidi ereptos li-

beram & quæ ingenuos viros deceat vitam vivere. Imò, tenuiſſimum ex ſolo lacte & farinaceis victum aggredientibus (ſi periculoſi morbi imminentis causâ id ſubito faciant) primis fere menſibus accidit ut pituita ſolito copioſior è narium fauciumque glandulis fluat. At non iſtam lac aut tenuis victus genuit: ſed, remiſſis paulùm fibris ab illâ tenſione quam pro earum viribus & cohæſione nimiam efficiebat quotidianus vini & generoſi cujuſvis potûs ſtimulus, jam genitæ, & in ſanguine latenti, illumque vitianti liberior & patentior exitus aperitur ut è corpore protrudatur. Itâ enim facta ſunt corpora noſtra ut, cùm arbitrio ſuo permittuntur, nec illorum fibræ vini & potûs ſpirituoſi ſtimulo non naturali concitantur & ab officio identidem retrahuntur, ex ipsâ fabricæ corporis vi & motu neceſſario illinc pendente humores per glandulas quaſque patentiores, præſertim quas emunctorias vocant defæcentur & purificentur. Hanc autem rectiùs morbi criſin quàm morbum dicas. At cùm ex tenui & moderato victu, atque exercitatione nunquam non illi conjungendâ, ſenſim creſcat & in dies augeatur ſolidum & durabile corpori robur, animoque ſtabilis & mutari neſcia alacritas, pro fulgurante illo & ocyſſimè tranſeunte gaudio dicam, an grato delirio, & fallace,

brevique pereunte virium emicatione, quæ vina dant: malum illud neque grave neque diutinum, certâ meliorum rerum ſpe fulti, haud difficulter ferent. Nonnunquam & paroxyſmi arthritici aut nephritici, non longè utcunque diſtantis, acceſſum maturat ſoliti victûs plenioris in temperantem, calidioris & exſiccantis in humectantem & refrigerantem mutatio. Hæc propter jamjam traditas cauſas fiunt, at nullo cum ægri damno: nam & minùs acerbo tunc dolore premetur & ſolito facilior liberiorque è corpore exitus materiæ morbificæ patebit, morbi jam diu repoſitus fomes ſubtrahetur, & novus aut nequaquam aut quàm minimâ quantitate accumulabitur.

§. 22. Circa legitimum potûs uſum graviter errant qui ventriculo plus æquo cibis onuſto ſuppetias ferre ſatagunt vino pleniùs ingeſto. Quo nihil uſquam infeliciùs excogitatum eſt. Igni ſcilicet per ſe ſatis æſtuanti, frigidam iſti ſuffundunt. Vinum enim aliaque hujus generis potulenta non minore quàm cibi firmiores labore digeruntur. Quod non imbecilles tantùm experiuntur, ſed & vegeti firmique, qui aquam puram aut cereviſiam tenuem bibentes cibos ferè duplo plures commodè digerunt quàm iidem ipſi vini potationi indulgentes. Hoc ſi cui dubium eſt, experientiâ edoctus cre-

dat. Aqua autem quantum vino & potulentis spirituosis præstet vel hinc elucet; quòd illa omni alimentorum generi dissolvendo utilissimum auxilium adferat, his, è contra, edulia plurima indurata dissolventi cuivis vi fortiùs resistant, nedum eorum ope dissolvantur. Cujus disparis efficaciæ illustrissimum exemplum sal erit, facilè aquâ, spiritibus difficillimè solubilis. Salis autem imprimis viribus corporis animati fibræ deteruntur, ut superiùs docuimus. Experientiam denique consulamus. Vidimus qui, dum vino cibos diluerent, & languidiùs esurirent & ægriùs concoquerent, postquam vinum aquâ tepenti mutassent & vehementer esurivisse & validè concoxisse; unde prius macilentos deinceps nitidiusculos evasisse. Fateor potiones valentiores calore suo coctionis organa stimulando & proinde humorum velocitatem augendo viscerumque actiones urgendo, incumbens onus majore cum præsentis alacritatis sensu excutere. At, ut provenientia inde ventriculo damna taceam qui supra vires suas operari coactus eo ipso magnopere deteritur & consumitur, alimenta indigesta per viscera & carnes distributa colicis doloribus, febribus aut diuturnis morbis materiam parant.

§. 23. Eundem errorem graviùs errant qui fervidissima quæque vina, è montanis

præcipuè regionibus delata, tenuioribus præferunt; neſcio quâ ratione inducti: nam eam quæ vulgo ſuadet ſpiritûs vini quotidianam ingurgitationem (quod ſcilicet inde citius inebrientur) nobilibus viris placere, vix ſalvâ iis debitâ obſervantiâ licet ſuſpicari. Tenuiorum certè vinorum dotes ſunt, humores moderatiùs accendere, ventriculum leniùs affligere, hilarium colloquiorum delicias tardiùs eripere, ſeriùs denique furores aut ſomnum inducere. In his præterea ſi nimius fueris, minùs ægrotabis, citiùſque convaleſces. At vix mihi perſuadeo ſtrenuorum compotorum vel ſtrenuiſſimo periculoſum hoc de quo monuimus compotationis genus ſtatim ab initio placuiſſe. Nam, ut nemo repentè fuit turpiſſimus, in tenuioribus vinis prima tyrocinia poſuiſſe videntur, quorum fractis viribus ventriculo ſtimulando jam imparium, majora auſi ſunt & fortiſſimo quoque vino, atque illo etiam quem igneis telis artifices Chymicorum manus armavere, devicto, cùm vetus orbis pluribus triumphis non ſufficeret, de novo hoſtem ſibi quærunt acerrimum, molli licet barbadenſis aquæ nomine fallacem. Quo omnium immaniſſimo domito, ipſi tandem Heroes fatiſcunt, longoque bello confecti fatis omnia vincentibus cedunt. Sed ut in re gravi ſeriò dicam, quibuſcunque aut ſa-

nitas aut vita curæ est, prima venenati calicis desideria horreant. Nisi enim maturè caveant, eò tandem devenient ut ab illo precariam suam vitam pendere sentiant, nonnisi stygiis hisce poculis suffulciendam. At cùm eò ventum est ut sine hujusmodi adminiculis vita tolerari nequeat, miserum mortalem mortuis meritò accenseas, morti utique propinquum, & sibi, amicis, reipublicæ inutilem. Immodicum tamen & quotidianum generosioris vini spirituumque ardentium usum dum improbo, non is mihi animus est ut quibus in morbis utilem præstant operam (articularis putà morbi fomite visceribus incursante, aut languentibus cordis viribus, aut colico vexante dolore) ea miseris ægris medico arbitro haurienda durus pernegem. Ridiculum enim esset, ne moriare mori. Nec cùm tenuioris vini bibendi auctor sum, immaturum & omphacinum laudo. Ratione tamen persuasus & experientiâ edoctus ratum habeo tenuiora vina, maturis tamen uvis expressa & vetera, sive hilaritatem conviviorum spectes sive corporis sanitatem, valentioribus & fervidioribus in quotidianum usum multùm præstare. Quæ posteriora, cui sanitas curæ est, nisi copiosiore aquâ temperata non aliàs degustabit quàm cùm medicamentorum cardiacorum nomine Medici jussu bibenda venient.

§. 24. Neque tetricorum numero censeri velim innocuam hilaritatem aversantium. Compotatiunculas & convivia animos exhilarantia, familiaritatem conciliantia vel augentia, vinumque

Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
in venas animumque —— *&*
—— *muto quod verba ministret,*

Nequaquam improbo. Quinimo, ——*recepto*
Dulce mihi furere est amico.

Quibus enim quotidiana temperantia præsidio est, ii levibus nec frequentibus erroribus minùs læduntur, si tamen statim ad ingenium redeant, solitamque temperantiam colant, & jamjam nascitura mala severiore mox subsequenti abstinentiâ coërceant. At bibace homine, continuâ crapulâ gravi quid odiosius aut contemptius! Quod opprobrium si solis nebulonibus cætera etiam impuris dici posset, reprehensione non profuturâ abstinerem. Procellam imperio tuo parituram expectes, si tales benè monentem audituros speres. Sed populare vitium jampridem omnium ordinum hominibus placet: neque infimam solùm plebeculam tenet, sed & elegantiores, ingenio præcellentes, & (quod falsò dictum maximopere cuperem) cum honestis ma-

tronis teneras etiam virgines, omnes cætera probos. Quæ cùm ita ſint, eorum commodis conſulturus mihi videor ſi, repetitis primâ ab origine mali progreſſibus, peſſimi facti flagitia & noxas apertiùs & quaſi digito monſtravero.

Nunc colicus dolor, hyſtericus affectus aut hypochondriacum malum; nunc res adverſæ & infortunia, filii putà immaturum fatum, vel amicus morte ereptus, obſtetricante nutriculâ aut ipsâ obſtetrice, vel quâvis è viciniâ aniculâ medicaſtrâ, gravem hanc peſtem pepererunt. Languenti ſcilicet aliquot ſpiritûs volatilis guttæ, aut cardiacæ aquæ pauxillum è pharmacopolio adfertur; quæ medicamenti nomine innocua videntur. Placent: & integer cyathus petitur. Deinde non unus ſufficit: ſine modo ardentes ſpiritus infunduntur. Tandemque miſer mortalis obſcœnam ſuam cupidinem profiteri non auſus, cùm dura interim eidem indulgendi neceſſitas in dies creſcens premat, hinc & inde mille cruciatibus intemperantiæ pœnas luit. Et cùm ex ipſo, quod putant, medicamine novus morbis fomes reponatur; violentioribus hyſtericis paroxiſmis, tremoribus & ſpaſmis neceſſitas liberioris & plenioris ſpirituum potationis in immenſum augetur, donec tandem amicus hydrops, atrophia, colliquans diar-

rhæa, febris aut phrenitis, gratâ ſævitie infelicem animam ærumnoſo carcere eductam liberet. Quoties mihi magnâ cum animi ægritudine videre contigit viros cæteroquin prudentes proboſque durâ hâc compede vinctos, non niſi omnipotentis Dei gratiâ, aut morte ſolvendos. Rationi etenim non parent, Medicorum præcepta non curant, experientiæ fidem derogant, & ne Deum quidem audiunt ebrioſis æternum è cœlis exilium denunciantem. Si faſcinantia iſta pocula per inſigne aliquod temporis ſpatium illis mederentur, eſſet quo aliquatenùs excuſari poſſent. Sed contrà, in poſterum graviora hàc ipsâ de causâ patiuntur mala, breviſſimum quidem per tempus devoratum venenum medicamenti officio fungitur, dolores differens quos poſtmodum cum fœnore reducat, momenta horis penſaturum, morbumque tandem inſanabilem effecturum. Languorem diximus vix morbi nomen mereri Si tamen impatientiùs feratur, alia ab his medicamina ars ſuppeditabit modò non defuerint naturæ vires: quæ ſi defuerint irrito conatu medelam adhibere, hoc eſt, mortuos ſuſcitare ſatagemus. Corporis exercitatione, abſtinentiâ, evacuatione idoneâ tolerabile certè evadit malum, aliquando & ſanatur. Ad ſpirituum auxilia qui confugit, turpiter ſtationem de-

ſerit victaſque dat morbo manus: & ne quidquam ab his boni ſibi expectandum putet, vix majore periculo ſciat ab arſenici opiive buccellis ingeſtis malorum medelam ſperari. Neque medicamenti aſſumpti nomine aut prætextu ſe tuebitur. Cardiaca enim medicamentorum numero vix cenſenda ſunt. Morbos enim iis non debellamus ſed eorum interventu inducias paciſcimur quò validioribus poſtmodum copiis illos adoriamur, medicamentis putà illis radicitùs evellendis accommodis. Inertium igitur iſtorum medicaminum repetito uſu, niſi ſumma urgeat neceſſitas, abſtinendum cenſeo. Aliis enim auxiliis effici poſſe ut hyſtericis hypochondriaciſque malis detenti eâtenus ſaltem convaleſcant ut vitam facilè tolerent, modò dicto obedientes ſint neque alio quopiam inſanabili morbo teneantur, expertus credo. Hæc de re tàm gravi dicenda putavi: de tàm inamœnâ plura dicere piget,

§. 25. Proximum infamiæ locum tenet potio illa, vini vicaria, ex vini ſpiritu, immaturorum aut etiam agreſtium limonum aurantiorumque malorum ſucco, & ſaccharo, aquæ confuſis malè coaleſcens. Quorum unumquodque, ſi unam aquam excipias, valetudinariis & infirmis inimicum eſt & inſalubre. Vini &, quem ejus loco ſub-

ſtituunt, oryzæ, ſacchari, hordeique ſpiritum vi ignis è plantarum ſuccis fermentatis elicimus, quas aut calidiores ad auſtrum regiones miſerunt, aut quæ maximas in noſtris ſolis ardores paſſæ ſunt. De igne autem obſervabile eſt, cujuſcunque corporis meatibus ita ſe inſinuaverit ut illud in minutiſſimas partes diſcerpſerit, his illum indivulſum comitem hærere, omnia quæ deinde attigerit urere, rodere, deterere. Id docet ſpirituum, præſertim ab alembico recentium, igneus planè & linguam adurens ſapor: idem, calcarius lapis in calcem redactus, qui etiam aquæ in quâ deferbuit tantâ copiâ ignes ſuos immiſcet, ut eam poſtea exſiccandis humidis ulceribus ſive epotam ſive exteriùs affuſam, feliciter adhibeamus. Quanquam verò ignis aliqua pars è corporibus quæ occupavit temporis diuturnitate evolet, manet tamen portio major, aquâ neutiquam expellenda, quæ exiles corporum meatus qui ignem jam admiſerunt cùm præ particularum ſuarum mole ſubire nequeat, eidem illinc fugando non ſufficit. Manifeſtiùs autem ſeſe oſtendent indomabiles planè ardentium ſpirituum ignes, contemplanti partes ex quibus coaluerunt. Eæ ſunt ſal ſubtiliſſimus oleumque puriſſimum minimèque ponderoſum. Quorum ille duriſſimus & ſolidiſſimus, adeoque

igne diutiùs retinendo aptior; hoc autem cùm igni concipiendo alio quovis corpore opportunius eſt, tùm ſalem aquæ, ignem extruſuræ, nudis amplexibus arcet. Admiſſum igitur ignem ſpiritus tenaciter retinent. Quantam autem ejus portionem dum diſtillantur admittant vel hinc patet quòd repetitis diſtillationibus in merum ignem mutentur, in auras ſuo ſe fervore diſſipantem. Alteram jam compoſiti partem videamus, limonum nempe aut malorum aureorum ſuccum. Ea autem immatura colliguntur, non aliâ ſcilicet conditione ad noſtras regiones ſine putredinis vitio deferenda. Quod & ratio ſuadet & idoneorum teſtium conſentientes voces confirmant. Aureum enim colorem quo ſe oculis commendant non maturanti ſoli debent, ſed eum, loco clauſo in acervos congeſta, tabeſcentia contrahunt. Tales autem ſucci omphacio, agreſtâ, groſſularum aut acetoſæ ſuccis quî præſtantiores ſunt? Si palato gratiùs ſapiant; certè non efficaciùs ſpirituum ardorem reſtinguunt. Iſti autem poſteriores infirmis viſceribus quàm conveniant experti dicant. Profectò omnes ſucci acidi fermentationi ciendæ idonei, imbecillis noxii ſunt; quorum in ventriculo & inteſtinis cibis ſemicrudis occurrentes colluctantur. Vehementiore interim fermentantium colliſione vapores

acres excitati, undique exitum ſibi quærentes, omnia viſcera corporiſque cava replent & diſtendunt, ampla morborum nervos laceſſentium materies. Ipſis etiam Americæ incolis, qui non niſi matura limonia aurantiaque mala poculis ſuis miſcent, quibuſque immodicus cœli ardor liberiorem potationem, vinique inopia funeſtum hunc potum neceſſaria fecerunt, quæ non morborum monſtra inde oriuntur? paralyſis, ſpaſmus omneque convulſivorum morborum agmen, & præcipuè popularis iis in regionibus colica Pictonum, brevi paucorum dierum ſpatio vitæ ſtamina præcidens. Hujuſmodi morbis correpti ſingulare remedium experiuntur aquas calidas Bathoniæ ſcaturientes; quò, ſi per morbi celeritatem liceat, omnes advolant. Iſtîc, quæ de Americanorum ægritudinibus narravi ex ipſis ægris didici; quibus ſuffragantur ejuſdem regionis Medicorum teſtimonia, uno ore hæc mala liquoris quem nunc vituperamus aliorumque ſpirituoſorum potationi imputantium. Si quis verò, ut de hoc obiter moneam, acidis ſuccis impensè delectetur; vini aceto, utpote minùs noxio, omninò utatur. Et ſi Romanorum, ſapientiſſimæ gentis, auctoritate moveatur, eorum exemplo acida parciſſimè uſurpet, nec niſi condimenti & gratioris ſaporis causâ, ubi ab eorum minimâ quan-

titate minimum etiam periculi erit. Eſt & ubi pauxillum acidi proderit: Romani enim milites magno ſanitatis adjumento, aquam quam bibebant aceti modico exacuebant ne ſegnis intra viſcera ſtagnaret; putredinem, febrem, peſtem eâdem etiam operâ præcaventes. Eodem conſilio antiquiores Medici oxycratum & oxymel ægris propinabant, pharmaca nempe aceto, melle aut aquâ temperato conſtantia. Acida enim non, niſi adjuncto quod eorum vires frænaret ferociamque mulceret, in corpora hominum admittebant. Saccharum, ſalem ſcilicet ex arundine excoctum, quoſcunque ſanitatis cura tenet parciùs alimentis ſuis immiſcebunt, eorum memores quæ de ſalis naturâ ſupra monuimus; maxime vero qui experti ſunt dulcia omnia ventriculi vim obtundere &, ut appoſitè Horatius, ſe in bilem vertere; hoc eſt, lentum acremque humorem in ventriculo gignere vomitu tandem, valetudinis causâ, rejiciendum. Supereſt aqua; innocua quidem illa, at impar venenis quibus infecta eſt remedium. Horreant igitur funeſta pocula omnes infirmi & quoſcunque tangit valetudinis cura; aut parciſſimè omnino adhibeant, ſic enim minùs nocebunt. Quædam nempe venena ſunt quæ quantitate ſuâ præcipuè nocent. Firmiter valentibus, nondumque intemperantiâ fractis omnis

cautela superflua videtur: quare nec hos, nec quibus voluptates quocunque demùm pretio emptæ placent, inutiliter monendo operam perdo. Talibus voluptatum abjectis turpibusque sectatoribus solis hæc pocula conveniunt, uno hoc nomine expetenda quod quibusvis aliis celeriùs, unoque quasi ictu & vehementiùs compotores ebriosissimâ ebrietate inebrient, diutissimè sopitos detineant, omnibusque animi facultatibus corporisque membris somno devinctis, stupidâ ignavos mortales indolentiâ beent, opio somniferâ sua qualitate & actionis modo, arsenico deleteriâ vi simillima: mortales, inquam, cætera ignavos; magnanimo tamen bibendi ardore vel * nobilissimi nostri comici Thrasoni æquiparandos qui mediâ intet tela vini cratera amplexus, constanti firmoque animo pronunciabat,

Audeo, potandi causâ, mortem instantem spernere,
Audeo jamjam periturus, dulci nectare prolui.

§. 26. Cerevisia, præter tenuem mensæ utilem, non nisi operariis & robustis agrestibus in deliciis est. Galli sarcasticè hor-

* Ducis Buckingamiensis, in lepidissimâ comœdiâ anglice scriptâ, quam *Recitantes* inscripsit.

dei jus appellant. Et credo equidem infirmum stomachum non difficiliùs concoquere porcinæ carnis jus pisis incoctum, familiare nostratibus ferculum, quàm crapulariam illam Notingamensium & Eboracensium cerevisiam visco haud multò minùs lentam: cocta enim emplastrum fit tenacissimè adhærens, distractis musculorum tendinibus roborandis commodissimum. Infirmi igitur primariâ quam vocant cerevisiâ prorsùs abstineant, vini suo modulo contenti. Tenuem etiam vitent nisi diligenter coctam, accuratè defæcatam & vetustate pellucentem. Cui enim *hæ* conditiones desunt per totum alimentorum ductum fermentans, cava corporis vaporibus replet miris postmodùm morborum machinis infirmam compagem, vix ferendâ cum violentiâ, concussuris.

§. 27. Postquam exoticarum mercium affluentiâ luxus ad summum culmen provectus est, invaluit per omnes ferè Europæ regiones mos bibendi theæ herbæ infusum, fabæque Meccanæ, quam coffeam vocant, decoctum; & pulmentum quoddam sorbendi, quod chocolatam vocant, ex Americanæ cujusdam nucis farinâ aquæ incoctâ confectum. Quem morem quidam magni nominis Medici omnibus diris devovent, alii contra summis laudibus efferunt. Ego nec ma-

gnæ laudis nec maximi vituperii rem esse existimo. Tutò enim quis se consuetudini inolitæ accommodare poterit; modò ne in licitis nimius sit.

Meccanæ arboris fructus tostus (tosti enim pulverem decoquunt) vulgaris fabæ tostæ virtutibus non longè distat; nisi quòd ventriculum minùs gravet, gratiùsque aliquanto sapiat. Decocti ejus quatuor aut sex unciæ epotæ ventriculum nimiâ pituitâ humentem & laxatum, aut humentiore aëre obtusum, plurimùm juvant, nedùm lædunt. Sed bis terve de die, quâcunque aëris temperie illud potitare non minùs noxium est, siccis præsertim & macilentis, quàm tantundem aquæ quæ calcem vivam extinxerat ebibere noceret. Et Turcarum quidem, quibus tàm hoc decoctum quàm opium vini spiritûs vicem supplet, intemperantiùs eo abutentium exemplo vix se tuebuntur. Hoc enim illi delictum non impunè ferunt, iisdem, quibus nostri à spiritûs vini pleniore ingurgitatione laborant, morbis obnoxii, stupori, paralysi, nervorum inertiæ; parique, quo apud nos ebriosi, contemptu à sobriis & temperantibus viris excipiuntur. Coffeam quidem solo absorbentis & siccantis medicamenti nomine commendo. Infirmioribus tamen, quibusque ventriculum molestiore vellicatione lacessit, autor sum

ut lactis pauxillum illi admisceant, vires ejus temperaturum, ne statim toto suo impetu in debiles tenerosque stomachi villos incurrens violentiore eas, quàm cui ferendo sint, ictu concutiat, sed leniter & pedetentim agendo tutiùs gratiùsque medeatur. Non aliâ de causâ (quod, occasione datâ, monuisse non ingratum erit) præstat vinum aquâ jam dilutum bibere quàm, merum cùm biberis, deinde haustâ aquâ restinguere: hostem nempe agri tui depopulatione penitùs prohibere quàm inceptam jam vastationem coërcere. Vinum enim jam deglutitum avidiùs ventriculus purum merumque combibit quàm ut seriùs adveniente aquæ ope ejici possit.

Theæ utimur aut viridi folio, aut fusco quam boheam appellant. Jacobus Cuningamius, Medicus doctus & curiosus rerum observator plures annos apud Sinenses commoratus, * refert, utrumque ex eodem frutice colligi, neque multùm diversâ anni tempestate: fuscum, prima nempe fruticis germina, ineunte vere; viride, eodem procedente & ad æstatem inclinante: illud loco umbroso arescere, hoc igne siccari. Sed non hoc solo discrimine boheam à viridi theam differre censeo: Boheam enim non inte-

* Motti Comp. Act. Philos. Reg. Soc. Anglican. Part. IV. p. 180.

gram puramque ad nos afferri, ſed ſucco quodam alieno ſive plantæ ſive minerali imbutam, cujuſmodi ille eſt quem terram (non vero tamen nomine) Japonicam dicimus. Id ſuadet mollis & dulcis boheæ ſapor, & quod ſtomacho alterâ gravior incumbat. Quare illam nihili facio præ viridi; cujus decoctum, ſi tenue nec fervidum bibatur & lactis pauxillo miſtum jentaculi loco, plurimùm infirmis conducere exiſtimo ad diluendas heſterni cibi reliquias, alimentorum ductus ſordibus purgandos, ſalemque ſcorbuticum & urinarium eliminandum. A pleniore etiam prandio ſi cui ventriculus gravetur, aut poſt aliquot horas ſitiat, nullo potûs genere commodiùs coctionem cibi promovebit, ventriculum levabit, ſitimque reſtinguet, quam hoc viridis theæ, aut limonii aurantiive mali, non tamen decorticati, infuſo. Quibus molliores infirmæque fibræ ſunt à liberiore aut hujus aut coffeæ uſu, aut animo concidunt aut tremore, corripiuntur; vel nimiâ ſcilicet aquæ fervidioris copiâ ventriculi primùm deinde & reliqui corporis fibras reſolvente, vel ipſis pharmacis eaſdem plus æquo irritantibus. Iis illi tanquam vini ſpiritu abſtineant, aut ſaltem ea temperantiùs uſurpent. Nihilominùs, vulgato eorum uſui imputantium ſcorbuti, hypochondriacorum affectuum aut

dejectionis animi latiùs noſtris quàm majorum noſtrorum temporibus graſſantem peſtem, ſententiæ non accedo. Cauſam illi effectibus omnino imparem aſſignant & naturâ diſjunctam. Quis neſcit aquam tepidam ventriculi & fibrarum infirmitate laborantibus concoquendi vires augere, ſaltem coquendorum maſſam diſſolvendo dimidiatum tantùm laborem iis relinquere? Hoc certè unico medicamine pluries vidi erectam eorum ſtomachi languentem vim quibus aquæ chalybeatæ frigidæ, ſtomachica amara, cardiaca & vini ſpiritus nocuerant, nedum profuerant. Theæ autem potus quid eſt, niſi aqua cui infuſa eſt innocua plantula! Innocua, inquam, nam guſtu deprehendimus nihil illi venenatum, deleterium, acre aut erodens ineſſe. Et gentium, regiones dimidiâ Europâ non contractiores unde nobis thea advehitur incolentium, teſtimonio & experientiæ ſi qua fides; nihil illa nocet; è contra verò coctionem & inſenſilem tranſpirationem plurimùm promovet, omneſque corporis humores attenuat. Nam mucus illis lentior nullus gignitur, nunquam excreant, nec obſtructâ perſpirabili materiâ oriundis morbis laborant. Quòd verò ejus calore humido ſtomachi & inteſtinorum villos reſolvi cauſantur, nullius ponderis eſt. Niſi enim ſanguine humano

ferventior

ferventior bibatur, calore non nocebit. Et balnearios ſervos novimus per plures quotidiè horas omni ferè anni tempeſtate thermis immerſos nihil inde damni ſentire, niſi ſitis hinc ortæ reſtinguendæ causâ largiùs ſe poculis invitent. Utut ſit, theæ potores moneo ne eam ſanguine multò calentiorem bibant; quò virtutibus ejus quibuſcunque pollet fruantur noxamque, ſi qua ineſt, evitent.

Quod ad pulmentum illud attinet è nuce cacoâ confectum, illud ventriculo gravius, & ſi vaniliæ admiſtæ ſint, calidius exiſtimo quàm ut infirmis conveniat. Jampridem monui omne nucum genus, pinguedine & tenacitate ſuâ tutum, intactum ferè per inteſtina elabi. Et quanquam in farinam redactæ & aquâ dilutæ tenuiorum ſuarum particularum aliquid per lacteas venas ſanguini immittant: non tamen ea infirmorum ventriculis ineſt vis quæ eorum lentori domando & nutrimento copioſiori indidem eliciendo, aut ea vaſis ſanguinis firmitudo quæ jam elicito, ſi modò elici poſſit, ſatis frangendo & attenuando par ſit. Audivi qui dicerent hoc ſibi pulmento appetitum excitari. Profectò non abſimile vero eſt, eum qui vigenti appetitu jentaverit, eodem, niſi quidem jentaverit intemperantiùs, non multò languidiore pranſurum etiam. Sed qui mane

languebat ſi ab aſſumpto pulmento ſub prandii tempus excitari dicunt appetitum, id non alio modo fieri exiſtimo quàm quo vinum acrius aut aceſcentes in ventriculo humores vellicatione ſuâ, non veram & naturalem famem excitant, ſed falsâ ejus imagine ludunt. Omnia enim oleoſa & pinguia, quale eſt nucum genus, ſtomachum valdè obtundunt, nedum excitant: in eo tamen aceſcentia eundem, eo ferè quo vera fames ritu, vellicantia ſtimulant. Robuſtis quidem hic potus, ſive cibum appellare mavis, utilis nutrimenti omnia munia implet: quibus etiam in colicis & nephreticis doloribus medicamenti anodyni loco eſſe poterit, ut qui lentore ſuo ſalſos acreſque irritantes humores irretitos obtundat, quò commodiùs per idoneos exitus vegeto viſcerum impetu utraque ſimul ejiciantur. Tenacior autem cùm ſit quàm qui tenerioribus infirmorum fibris ſubigi queat, his nec cibo neque medicinæ utilem putò. Imbecillis (quod, quia magni momenti res eſt, iterare liceat) farinacea apprimè conveniunt, piſum, faba, milium, avena, hordeum, ſecale, triticum & hujus generis alia, quorum aliquo aquæ aut lacti incocto commodiſſimè & jentent & cœnent.

§. 28. Quandoquidem in plantarum alio cœlo provenientium apud Noſtrates uſum

ſermo incidit, de tabaco hîc, etſi loco forſan non ſuo, verbulum addamus. Herbam quæ pleriſque, mediæ præſertim & inferioris ſortis, hominibus in deliciis eſt, frigidis tantùm humidiſque corporibus ſeroque nimio differtis utilem credo: quibus tuſſi, deſtillatione, catarrho, aſthmate laborantibus, dentium dolore amentibus, lippientibus, aut, ventriculo nimiam & aquæ propiorem lympham fundente, languidiùs eſurientibus tabaci fumus ſuctus ipſave herba maſticata, corpus pituitâ frigidâ omnique ſuperfluo humore evacuando, non parùm levaminis adfert. Caveant interim nè fortè deglutito temerè fumo aut ſucco, intempeſtivâ vomitione aut alvi purgatione totiuſque corporis vehementiore commotione gravius ſibi malum accerſant. Scio eſſe qui exinde talia non patiantur quique tabaci ſucco deglutito leniter ſibi alvum cient. At cui ignotum eſt medicamenta quævis vel efficaciſſima, imò ipſa venena (Mithridatem teſtor) iiſdem aſſuetos non commovere? Neque ſiccato jam, ut par erat, corpore novum inutilis humoris fomitem bidendo ſuppleant: aquâ tantùm fauces colluant quam deinde expuant. Siccis autem, macilentis, hecticis hæc eadem ſummopere officiunt. Boni enim utiliſque humoris pauxillum illud quod ſupererat penitùs exhauriendo, ſan-

guinem ſponte ſuâ juſto calidiorem accendunt, fibraſque exſiccant; &, quod maximi momenti eſt, ſalivam ciborum digeſtioni omninò neceſſariam inutiliter abſumunt. His non multùm diverſa præſtant tabaci folia minutim conciſa naribus indita. Pituitam enim cerebro oculiſque gravem futuram occupant, & per naſi glandulas deducunt. Ridiculum autem morem, ptarmicum ex tabaco paratum pulverem identidem inſufflandi deindeque emungendi, quàm viſu fœdum tàm corpori, præcipuèque oculis, noxium, honeſtis omittendum cenſeo. Ventriculum autem ſi obſcœnus ille è naribus mucus tabaci pulvere ſordidus ingrediatur (quod è fide dignis audivi qui ſe eum non minimâ quantitate vomitu poſt diuturnam nauſeam rejeciſſe affirmabant) certè illum cùm aliàs, tùm narcoticâ ſuâ facultate maximè offendet.

§. 29. Prout ſupra, de eâ cibi quantitate, quæ valetudini conſervandæ, aut diuturno morbo jam affectæ recuperandæ, idonea eſt; determinandâ monui: nunc quantum, in eundem ſcopum collimanti, bibendum ſit docebo. Etſi cùm cibi tùm potus quantitas pro variâ cujuſque ætate, mole, craſi, corporis exercitatione, regionumque & tempeſtatum diverſitate, varia etiam ſit oportet: cùm tamen infirmis ſolis ſcribam,

ideo & cibi iis convenientis pondus præſcripſi, & potûs mediocriter fortis menſuram diariam unius libræ anguſtis limitibus concluſi (de quo etiam tantillo, ſenio confectis & jam morbo occupatis demendum eſt aliquid) nunc aquam tenueſque alios liquores admenſurus: quorum, etſi qualitate innocuorum, quantitatis tamen ratio aliqua eſt habenda. Ea enim ſi nimia ſit, vaſa corporis ultra modum naturalem diſtendens, ſimulque laxans, tenuiores & nutrimento aptiores chyli partes non paucas per urinæ vias defert, fortè aliquid etiam ſolidi per cutis poros amandat, cùm utramque iſtam ſecretionem liberiore potatione augeri ſentiamus; poſtmodùm, ſi in errore pergatur, craſſioribus etiam ſanguinis & chyli particulis meatus, ſolis minutioribus deſtinatos, apertura, tumori corporis & ſeu obeſitati ſeu obeſitatis ſpeciei falſæ occaſionem datura. Si è contra debito parcior ſit, cibo diluendo chyloque, per vaſcula minutiora fluxuro, fluxili efficiendo non ſufficiet. Ut igitur cibo congruentem potûs quantitatem æquiùs æſtimem, de cibo paucula repetenda ſunt. Id primùm mihi ſumo, imbecillos, moniti ſupra traditi memores, aſſis & elixis ſolis (omiſſis ſalſamentis, acrioribus condimentis aliiſque irritamentis luxuriæ ſitim naturali majorem excitan-

tibus) contentos vivere. Sed inter aſſa etiam & elixa, ratione potûs paululum quiddam intereſt. Carnes enim elixatione non parùm divitis & luxuriantis ſucci ſui deperdunt. Proinde minùs nutriunt; ſed teneriores cùm ſint faciliùs concoquuntur & in chylum fatiſcunt, liquoris interim addititii minûs indigæ. Qui igitur adultorum animalium ſolidioribus carnibus, bubulâ, verbi gratiâ, aut vervecinâ delectantur, coctione eas domando ſtomachi ſui quieti conſulant. Tenerioribus carnibus contenti, quales ſunt pullorum, agnina, vitulina, tutò earum aſſatione palato ſuo gratificentur, aut languentem appetitum gratiore aſſorum ſapore excitent. Quantum autem humoris aſſatione deceſſerit, tantundem largiore potûs copiâ accedat neceſſe eſt; quò aridiores carnium fibræ humorem avidè imbibentes diſſolutioni opportuniores fiant. Sic igitur paratis cibis victitantium, nec fines quantitati ſuperiùs præſcriptos excedentium, ut generaliter dicam, præter vini libram jam conceſſam, aliæ duæ aquæ aut tenuioris cujuſvis liquoris libræ ſi accedant (habitâ interim ratione differentiæ quæ inter aſſa & elixa intercedit) ſanitati optimè conſultum erit. Ita enim cibi, ſeſquilibram ſcilicet non ſuperantis, duplâ potûs quantitate temperati quod ſupereſt à fœcibus per alvum ejectis, ſatis

fluidum fiet ut per minimum quemque canalem fluat cujus modo capacitas diametro particulæ ſolidæ pauxillo major ſit; qui fluiditatis chyli ſcopus eſt & finis. Quare infirmo ventriculo aut laxitate fibrarum laborantibus ſuadeo, vinum jam dictâ aquæ quantitate temperent, tepentis nempe & in quâ panis cruſtulum uſtulatum maceretur. Cujus itidem majorem partem non inter prandendum, ſed à prandio, bibant. Tenuior enim & ſubtilior chyli portio, non magnâ liquidi copiâ indigens, faciliùs inter digeſtionis initia per inferius ventriculi os elapſa viam ſibi per lactea vaſa aperiet. Craſſiori tamen, in ſtomacho diutiùs commoranti, pleniore humoris quantitate opus erit ut comminuta & fluxilis facta eaſdem ineat vias. Cui autem dudùm paſto ventriculus gravatus nauſeat, difficiles ructus emittit, cardialgiam patitur aut oſcitationes ciet; is aquâ potiùs tepenti, ſive infusà theâ ſive non infusâ, cibum diluens coctionem promoveat: immò, ſi increverit moleſtia, chamæmeli potiùs aut cardui benedicti decocto epoto, laborantem ſtomachum vomitione exoneret; quàm ſpirituum ardentium infelici utatur operâ, quâ irritatæ ventriculi & inteſtinorum fibræ, præſenti quidem cum levamine, ſed nimio labore defatigatæ, onus ſuum excutient, crudum tamen,

& tormina alvi colicoſque dolores daturum, & cùm vaſa ſanguinis ingredietur, ſiquidem ſatis attenuari nequeat, laſſitudine, animi dejectione, & pungente rheumatico dolore moleſtum futurum.

§. 30. Si cui tamen incautiùs & minùs accuratâ temperantiâ viventi eò res reciderit ut cardiaco medicamento omninò opus ſit, quò jam præſentia mala eluctetur, animi deliquia aut dejectionem, nauſeamve; ſi cui etiam ſalutis impendio libuerit animi alacritatem & vividam ingenii vim per pauculas aliquot horas duraturam, oblatâ aliquando rei benè gerendæ occaſione, redimere: quocunque demùm caſu cardiacum medicamentum, ſive commodè, ſive licitò adhiberi poſſit; illi jam deſcribendum expertus commendo, ad omnia utile. Quod ſi cui forſan æquo fervidius videatur, is ſciat ejuſmodi medicamenta nuſquam exhibenda videri niſi ubi calidioribus opus eſt.

Aquæ florum chamæmeli ſimplicis uncias ſex; aquæ gentianæ compoſitæ ſeſcunciam; aquæ abſinthii compoſitæ tantundem, ſpiritus lavendulæ compoſiti; ſpiritus ſalis volatilis oleoſi, tincturæ caſtorei, gummi ammoniaci in aquâ aliqua ſimplici (pulegii verbi gratia)

ſoluti, ſingulorum duas drachmas; tincturæ ſerpentariæ Virginianæ & ſpecierum diambræ, utriuſque drachmam; oleorum chymicorum lavendulæ, juniperi, & nucis moſchatæ, cujuſque guttas decem cùm vitello ovi conquaſſatas quò arctiùs prædictis cohæreant; iſta, inquam, commiſce.

Cochlearia duo, tria, aut quatuor, prout res exegerit, bibantur. Aſæ fœtidæ ſemidrachmam & caphuræ tantundem, cui hæc placent, in jam dicto medicamento, linteolo involuta maceret.

CAPUT III.

De Somno & Vigiliâ.

§. 1. UT omnia corpora mutuâ in ſe invicem actione atteruntur & abſumuntur: ita animalium corpora, cùm externâ ambientium vi, tùm præcipuè internis ſuis motibus detrita, & quod detritum eſt foràs dimittentia, inceſſanter diffluunt. Cui diſpendio reparando provida natura ſomni placidam quietem attribuit. Quàm enim neceſſarii ſunt vigiliæ labores vitæ negotiis

obeundis, & nutrimento parando & aſſumendo, tàm utile eſt ſomni tranquillum otium partibus detritis reparandis, turbatis reconcinnandis, nutrimento apponendo, & labore amiſſis reſtituendis, ſanguini elaborando & perficiendo, & variorum humorum ex eo ſecretorum eam copiam parando quæ & reficiendo corpori & ſuſtinendis ſecuturæ vigiliæ impendiis ſatis ſit, nervinis denique fibris per vigiliam labore remiſſis denuò intendendis, humorique ad hoc neceſſario (ſive ſpiritus appellare libet animales ſive liquorem nervinum) elaborando & iiſdem illinendo. Quo tam multiplici ſecundariarum concoctionum officio occupatam naturam ad diverſa & tempori aliena munera invitam diſtrahere, quantùm ſanitati obſit nemo non videt.

§. 2. Hoc tamen tantum & tam ægrè reſarciendum damnum adfert liberè & luxurioſè cœnaſſe, aut maturiùs à cœnâ decubuiſſe. Quare imbecillis ſuadeo aut omninò non, aut herbis, cerealibus aliiſque facilè concoquendis ut cœnent, idque aliquot ante ſomni tempus horis. Certum enim eſt (niſi morbus jam occupaverit, quaſvis, quovis tempore, functiones animales turbaturus) ſomnum eâtenus placidum mollemque futurum, corpuſque refecturum, quâtenus alimentorum ductus ab officio ſuo

vacui, nullique molestæ irritationi obnoxii conquiescent. Gravem quidem soporem aliquando onustus ventriculus inducit: dulcem, quietum, & qui fessa membra reficiat, non item. Laxiora etenim per somnum lacteorum vasculorum ora, etiam semicruda alimenta (neque enim tantâ dormientis & quiescentis stomachus, quantâ vigilantis & se commoventis vi cibum coquit) ingredientur, morborum semina, cùm postmodùm difficillimè conterantur, futura. Si cui igitur somnus inquietus & per intervalla abruptus vexatum corpusculum gravet potiùs quàm reficiat; neque interim morbo quoquam manifesto detineatur; ventriculo se id debere molestiæ sciat aut intestinis, semicrudis nutrimenti reliquis aut cholerâ, quam vocant, chylo nempe viscido bili inerti commisto, indeque ortis flatibus, distentis & irritatis. Hæc sentiunt qui hypochondriaco malo imputant insomnes noctes, aut interruptum, nec nisi partitis vicibus captatum somnum corpus minimè reficientem. Quales, de variis rebus interrogatos ut mali causam deprehenderem, nunquam non reperi circa victum vel ipso illo die quem insomnis nox insecuta est vel aliquo qui non diu præcesserat, insigniter peccasse; aut pravo scilicet, aut nimio, aut intempestivo cibo potuve deliquisse.

Sæpe ego hypochondriacis & hystericis, eorum sortem miseratus, vidi post noctem insomnem, irrequietâ de latere in latus volutatione consumptam, mane tandem somnum fatigatis obrepsisse: quo excusso graves, delassati, minimèque refecti querebantur incubo se pressos, fatigatosque non aliter languere quàm si per noctem verberibus & calcaribus excepti sessorem, equi more, passi fuissent: anima fætebat, lingua albicabat, ructabant, oscitabant, tussiebant, screabant, nonnunquam & vomituriebant, inertes socordesque per totum diem cibum fastidiebant. Sero tamen vespere tandem erecti & esurientes, variâ cænâ potuque spirituoso paululùm refecti, alacres vividique, vigiliis ad multùm noctis productis, postremò decumbebant; eadem omnia eodemque ordine denuò passuri. Benignus scilicet novi cibi succus potusque spirituosus languentes primùm ventriculi fibras, nervorumque ejus interventu reliquos deinde totius corporis villos leniter stimulans, semianimem hominem alacritate perfundebat: qui tamen, post aliquot horas, crudis priorum ferculorum reliquiis acescentibus penitiùs mistus & contaminatus, acriùs vellicando (non tamen semper eâ acredine quæ tactui sensibilis dolorem manifestum crearet) ventriculi & intestino-

rum fibras iisque connexas alias, somnum arcebat, donec tandem defatigatum sopor gravis occuparet. Hinc ulteriùs provectus corruptus chylus, intraque vasa sanguinis receptus, etiamnùm manifestè acidus, (quod licet in sanos vix cadat, infirmis tamen, bileque elaboratâ & copiosâ quæ acidum subigat detectis plerumque accidit) ibidemque fermentescens, eaque (& præcipuè per pulmonem, infirmum viscus &, auctâ quomodocunque sanguinis mole, facilè nimio oneri obnoxium, reptantia) distendens & irritans, flatus, incubum, convulsiones, & hos subsequentem animi dejectionem torporemque parit. Tot igitur undequaque remoris injectis, ciborum digestionem non ante vesperam insequentem perfici (quousque, inquam, licet, perfici) prostratumque eo usque, jacere appetitum, nihil mirum. Reviviscenti tamen appetitui, & doloris tædio impulsi, & voluptatis lenocinio ducti, liberiùs indulgentes eadem vestigia premunt in eundemque orbem redeunt. Fatui! qui si rationi obtemperantes paucos aliquot dies incœnati aut cerealia aliave levia cœnati, maturè decumberent (forti interim animo, si quid inter novationis initia non assuetis molestum acciderit, id ferentes); commodioribus horis, nec languidè, esurirent; brevique Salernitanorum moniti ve-

ritatem experti faterentur. Id autem hujuſmodi eſt;

Somnus ut ſit levis, ſit tibi cœna brevis.

§. 3. In hoc præterea graviter peccatur quòd ſomno opportuna tempora vigiliis dantur, & vigiliarum laboribus dicata, ſomno pereunt. Naturæ enim indicia qui ſequi velint, nocturnum tempus ſomno, vigiliæ diurnas horas impendent; quæ ſi inverſo ordine uſurpent, non impunè ferent, infirmi præcipuè, quibus ea nocent quæ robuſtiores non offendunt, imò ab illis ne ſentiuntur quidem. Vapores enim & exhalationes quos ſolis calor diurnis horis in altum ſublatos & rarefactos innocuos præſtat, accedente nocturno frigore condenſati decidunt in terram, lentèque per noctem totam diſtillant. Perſpirabilis illi materiæ liberum per cutis poros exitum prohibent, quam interim intempeſtivè vigilantium motus excitant protruduntque ad minima uſque vaſcula, ibi eo frigore conſtipandam & coacervandam, materiem febri ſuffecturam, aut ſaltem fibras oneratas reſoluturam, forte & exiliores rupturam; quod nutricibus accidere ſolet & quibuſvis ad ægrorum lectulos vigilare ſolitis, qui plerique hydrope tentantur, aliquammulti

pereunt. Obstructâ scilicet perspirabili materiâ, serosa sanguinis pars & quantitate augetur & lenta acrisque fit; unde exilissima vascula lymphatica distendit, exedit, rumpit & hydropem gignit. Et supra monui corpora nostra vapores cujuscunque generis per aërem natantes, sive noxios, sive salubres, attrahere, intrò rapere & per patentes in cute meatus quasi haurire, aut potiùs eos se intra corpus per hoc ductus insinuare & adigere; cùm interim corporis machina perspirabilem materiam, quantùm per ambientia corpora licet, foràs propellat, effluviorumque nebulâ, bullientis aquæ vaporibus tenuiore quidem at cætera non absimili, se circundet. Hæc attendenti, ab aëre nocturno frigido & humente, perspirabili materiæ exitum præcludente, intraque corpus sese insinuante, tantum malorum agmen infirmis instare comparebit, ut nihilo magis sanitati aut longævitati obsit ebrium, si modò maturè, decubuisse (strenuos compotores testor) quam vigilias in multam noctem, quanquàm sobrios, protraxisse. Ista qui caverit pericula maturèque cubitum iverit, somno ad horas meridiei proximas producto non indigebit; aut eidem superfluo si indulserit, cùm utilis esse desierit, ideo jam noxium sentiet. Quem enim non necessitas dulcem placidumque

indulserit, sed luxuriosum suaserit blandiens stragulorum calor & mollities, ille tabescentes quasi fibras emollit atque enervat, & supra quam usus postulabat irrigatas nimio humore gravat hebetatque. Qui conticinii tempora vigiliæ dederit neque ante matutinas horas decubuerit, is neque exhaustas fractasque vires modico somno reficere poterit, & somni finem in tempora minimè opportuna conjiciet. Cùm enim eousque digestiones processerint ut jam copiosiùs accumulata perspirabilis materia liberiorem (quem solus somnus concedit) patentioremque sibi exitum postulet, & assueta quasi expectet; ea impedita fibras impari onere premit, quæ hinc distentæ, laxatæ & fatigatæ difficiliùs exonerantur reficiunturque, aliâ perspirabilis materiæ particulâ alii exitum quem simul plures affectant intercludente. Et nisi ante meridianas horas quietus & mollior somnus corpus refecerit, minimùm profectò proderit interruptus ille, & suspensus, quem solum concedet ingressum jam clarum mane fenestras omnes undique angustas extendens molesto lumine rimas, & circumsonans undequaque hominum negotiis suis intentorum strepitus; multòque minùs veternosus ille sopor cui succumbunt, exhaustis viribus, delassa-

tæ, diſtractæ, onerique ferendo impares fibræ.

§. 4. Nihil igitur apertiùs natura indicat, quam vigiliæ diem lunamque, ſomno noctis ſilentia obſcuramque umbram convenire; non læti tantùm ſolis ſplendoris ad obeunda vitæ munia omninò neceſſarii, ſed & maximè ſalubritatis ratione habitâ. Infirmioribus, fateor, quibuſdam animalculis, gliri putà, hirundini, veſpertilioni, aliiſque non ſufficit cujuſque diei vigilias excipiens alterna noctis quies: ſed integris etiam per hyemem menſibus ad idoneam ſive requiem ſive ſomnum opus eſt: niſi, quod vero ſimilius eſt, non tàm dormiendi quàm vitandæ cœli inclementiæ causâ ſecedunt, ſomnus autem, cùm ad fallenda longi otii tædia tùm præcipuè ne eorum corpora tunc temporis nihil admittentia nutrimenti actionibus vegetioris vitæ abſumerentur, indultus eſt. Robuſtiora autem ferarum genera ipſam noctem inſomnem agunt, cùmque omnia apud homines ſilent horrendis illa rugitibus terrificiſque ululatibus prædæ intenta ſylvas latè implent. Meticuloſus etiam lepus, ab inſidiis ſibi cavens, noctu gramina depaſcitur. Huc ea impellit dira neceſſitas, hiſque ferendis provida natura illa animalia adaptavit. Ego homines, eoſque imbecilles, quid illis conveniat doceo: nam robuſtos &

quibuſlibet duris ferendis pares non moror.

§. 5. Infirmis itaque vitam gravioribus morbis vacuam ad maturum ſenium extendere cupientibus ſuadeo deciduos nocte vapores, nocturnas lucubrationes & quaſcunque demùm intempeſtas vigilias quantâ poterunt curâ devitent: æſtate paulo poſt ſolis occaſum, horâ ſcilicet veſpertinâ octavâ, nonâ aut decimâ eant cubitum; hyeme ante diluculum, quartâ aut ſextâ matutinâ reſurgant. Sic octo plùs minùs horas ſomno dabunt; quod cuivis nullo morbo acuto nulloque diuturni morbi paroxyſmo detento ſatis eſt. Parcè enim ſobrièque viventes brevior ſomnus reficit, qui illos, contra quàm luxui indulgentibus accidit, ſuavis occupat, continuus nec interruptus fovet recreatque, alacres demùm vegetoſque ad vitæ officia dimittit. Pro quantitate ſcilicet cibi potûſque ingeſti brevior molliorque aut productior & gravior ſomnus eſt. At immodico indulgere ſomno, ut jam dictum eſt, aut ceſſantes tepido ſe ſtragulis coopertos fovere nido imbecilles, quid aliud eſt quam laxatis enervatiſque fibris, indeque inſpiſſatis humoribus, corporis ſui machinam diruere! Libero apertoque aëre, lecto exilientem illicò ſe circumdare, eſt quaſi frigidario ſe immergere, quo circuitus humorum pro-

movetur fibræque firmantur quæ, mollibus calidiſque ſtragulis diutiùs involutæ, nimio humore maceratæ mollitæque reſolverentur. Erectus etiam corporis ſitus, actio item & labor (poſtquam ſufficiente ſomno corpus refectum eſt & labori aptatum) plurimùm prodeſt, perſpirationem augendo & craſſiora etiam excrementa expulſioni præparando & expulſionem eorundem ſolicitando. Hæc oſtendit vegetior maturè ſurgentibus quàm manè pigrè ſtertentibus appetitus. His adde puri benignique aëris matutini ſalubrem influxum, noxiorum noctis vaporum receſſum, omniaque exortu ſuo exhilarantem novum ſolem, qui vivo cuncta calore fovens novo cor robore firmat totamque corporis machinam vigore replet.

§. 6. Literarum imprimis ſtudioſis amica muſis aurora convenit; quo præcipuè tempore vigent animi facultates, corpuſque moderato ſomno inſtauratum ad omnia menti debita miniſteria obeunda alacre promptumquè adſtat, cerebrum ſerenum & expeditum, ſopitæque animi perturbationes, non ampliùs fervente digeſtionis opere à paſtu plerumque mentis aciem obtundente infirmorumque ſpiritus conturbante, intellectui ad ſua ſe munera accingenti favent.

Infirmi igitur literarum amantes nocturnis chartis ne impalleſcant, ſed primo mane experrecti ſtudiis incumbant &, ut benè cœptum opus feliciter progreſſum ad bonum exitum ducatur, cùm paulo ante meridiem leviter jentârint, ea repetant, quouſque vires ſpirituſque commodè ſufficient eo uſque perduraturi, ad ſecundam ſcilicet tertiamve à meridie horam. Unâ deinde horulâ ambulationi, equitationi aut leniori cuivis nec vehementi corporis agitationi datâ, poſtquam parumper quieverint prandium aggrediantur, paſtum quanquam jentaculo pleniorem, temperatum tamen & regulis jam traditis coërcitum. Reliquum deinde diei amœnitati ſacrum partim hilaribus colloquiis relaxandi animi causâ terant, partim, repetitâ exercitatione, ſaluti corporis tribuant, omiſsâ omni intenſiore cogitatione. Poſtremò, maturè decumbant poſtquam prandium, ſi libuerit, aquæ poculo diluerint, aut vini albi, Hiſpanici, verbi gratiâ, aquâ copioſiore temperati lactiſque calentis ſero deliniti hauſtulo; quod & perſpirationi promovendæ inſuper conducet.

§. 7. Unicum ſupereſt de ſomno monendum: jam ægrotantibus, ſcilicet, ſenioque onuſtis longiorem in lecto moram neceſſariam eſſe. Ægrotis enim inquietior & interruptus ſomnus, cùm tranquillitate non

possit productiore temporis spatio ut prosit curandum est. Senibus eadem damna eodem artificio pensanda. Rigidioribus præterea & exsuccis eorum fibris pleniori somno remolliendis & humectandis, prostrato corporis situ tepidoque stragulorum fotu allaborandum est.

§. 8. Ut suprâ dictorum summam paucis comprehendam; somni ratio his contineri videtur. Somnus est plena & integra omnium functionum & motuum voluntariorum cessatio, eorum organis reparandis vigiliæque dispendiis resarciendis accommodata. Eò autem magis somno reficimur & recentamur quò minùs ille rerum imaginibus animique affectibus per insomnia turbatur, organorumque corporeorum animæ facultatibus inservientium usu impeditur. Somnus temporaria mors dicitur, & quodammodo est. Per somnum enim quietum & altum spiritualis nostri, pars ab animali liberata & quasi sejuncta esse videtur; idque eo, ut probabile sit, sapienti consilio ut, cessantibus mentis operationibus, solidæ corporis partes, quæ dum agunt & moventur non ita commodè resarciri queunt, per quietem nutriantur, augescant, & quod inter vigilandum & agendum deperdiderant nunc recipiant reparentque. Solidæ alimenti partes non aliud sunt quàm exilissimæ ani-

malium vegetabiliumque comeſtorum contritæ fibrillæ, membranulæ, vaſculorum annelli, variique generis fragmenta oleo, ſali & aquæ commiſta & confuſa; quæ per animalis nutriendi canales quoſcunque omnia in omnes partes feruntur, ut alibi aliæ particulæ, magnâ varietate humori nutritio innatantes, rimæ alicui obturandæ aut defectui cuicunque ſupplendo, adhæreſcant, & quodam quaſi glutine appoſitæ affigantur. Hæc autem tam commodè tamque examuſſim fieri non poſſunt organis per vigiliam actiones ſuas obeuntibus ac per altum ſomnum ceſſantibus & quieſcentibus. Vigiliæ igitur tempore fibræ deteruntur, ſomni tempore reſarciuntur. Quare ut iſta tempora neceſſariò alterna ſunt, & propter diverſos fines inſtituta ſunt ſomnus & vigilia, ita diverſos & contrarias ferè eſſe omnes hujus & illius circumſtantias convenit. Hinc, ut id obiter moneam, elucet nullos per ſomnum gigni ſpiritus animales ſive fluidum voluntariis vitalibuſque motibus peragendis per nervorum canales fluxurum; neque quidem aliud quidquam peragi quàm fibrarum redintegrationem, reconcinnationem, novamque tenſionem & quaſi modulationem. Si enim ſubtile aliquod fluidum ſecernendum eſſet, ſatis patet id æquè commodè, imò forſan commodiùs ſecretionis organa

ſeparare poſſe corpore per vigiliam moto, quàm per ſomnum quieſcente; quod tempus jam ſecretæ & præparatæ materiæ appoſitioni aptius eſt: ut antlia non minùs commodè nave progrediente quàm ad anchoram ſtante exercetur; licet ad carinam reficiendam eâ quieſcente & fixa opus ſit. Corporis autem noſtri diſpendiis reparandis quietem omninò neceſſariam eſſe uſque adeò verum eſt ut quos ſomnus fugit, illi quieſcendo, corpus immobile detinendo, animæque operationes quantùm pote ſopiendo ſomnum, quâ licet, imitati non parùm reficiantur. His ſic expoſitis ſatis patet corporis fibras, ut commodè refici poſſint, ſitu per ſomnum maximè naturali & proclivi, eo ſcilicet quo earundem tenſio maximè remittitur, ponendas eſſe; cùm tenſis & diſtractis, ut per vigiliam fit, non æquâ commoditate nutrimentum aut apponatur aut adhæreat. Hâc de causâ opium aliaque ſomnifera medicamenta ut ſomnum inducere poſſint, priùs neceſſe eſt ut fibras nimis tenſas eatenùs relaxent quatenùs relaxari ſolent ut reſarciri poſſint nutrimenti appoſitioni. Eâdemque ratione quivis dolor, aut ſpaſmus, aut difficilis & moleſtus corporis ſitus, qualis eſt ſtantis & (ſi dormire velit) ſedentis etiam, mollem ſomnum, & quæ membra foveat quietem impedit. Qui

temperanter sobrièque vivunt & æquales præter propter nutrimenti quantitates quotidiè assumunt idque statis horis, illis statâ etiam quotidie horâ vesperâ (nisi extrinsecùs impedimenti aliquid incidat) concoctionis munere defunctis commodum erit ire cubitum; nec tamen maturiùs, eoque imperfecto, aut solito breviore post cibationem tempore. Absonum enim videtur crudos humores materiæ nutritivæ jam coctæ permiscere & confundere: quod tamen necesse est accidere nisi concoctionis opus magnâ ex parte jam peractum sit priusquam appetat somnus, tempus nempe nutritionis & instaurationis: cujus cùm jam materia parata est organaque ad opus suum rite disposita, non minorem eâ interturbatâ vim naturæ inferas quàm inhibitâ alvi fœcum aut urinæ expulsione, cùm aut hæc aut illæ vasa copiâ suâ ad expulsionem stimulant.

Jam cùm manifestum sit rorem crassum, gravem, densum, putridum noctu destillare; (solis enim vegeto calore ab omni corpore humido excitantur vapores in mediam aëris regionem, ibidemque suspensi detinentur ad ejus usque occasum; quò fit ut diurnis horis quàm nocturnis, præcipuè primarum vigiliarum, aër sit purior, siccior, salubrior) somnus diurnus nocturnæque vigiliæ necessariò perspirationis solitum te-

norem

norem conturbabunt, ejuſque materiam excrementitiam nutritionis alibili materiæ permiſcebunt & confundent, impeditam ſcilicet & repulſam; quam tamen ſuo tempore juſtâque quantitate extra corpus efferri majoris eſt ad ſanitatem momenti quàm ſimul & urinam & alvi fœces debito ordine expelli.

Ex iſtâ autem conturbatione fit ut infirmi ſomno tempeſtivo prohibiti toties oſcitent & pandiculentur: vellicatione nempe & irritatione perſpirabilis halitûs obſtructi, omnes corporis muſculi ad ſpaſmos & tremores excitantur, quibus ejus expulſio promoveatur per cutem. Cùm autem vaporum craſſiſſimi & graviſſimi, ideoque maximè noxii, ii ſint qui ad minimam altitudinem elevantur celerrimèque & citiſſimè deſcendunt, omneſque exhalationes tùm decidere incipiant cùm ſolis calor tantus eſſe deſierit ut earum gravitati æquipolleat: manifeſtum eſt nullum hyberni diei tempus alterâ aut tertiâ ab occaſu ſolis horâ, nullum æſtivi ipſo crepuſculi tempore infirmis magis periculoſum eſſe & noxium. Æſtivi enim ſolis ardoribus ipſi etiam animales ſales putridæque quævis & tetræ exhalationes, aliaque morborum, etiam peſtilentium, ſemina in aërem elevantur; quæ tamen, cùm gravitate præcellant, paulò poſt ejus occa-

ſum neceſſariò decidunt: cùm, è contrà, hyberni calor modicus non niſi aqueis vaporibus excitandis par ſit, quæ, cùm leviores ſint, & altiùs aſcendunt & decidunt lentiùs, nec ut alteræ illæ exhalationes ita noxiæ ſunt. Et hâc præcipuè de causâ veſperæ, poſt intenſos in calidioribus regionibus ardores, horæ tam noxiæ imò peſtiferæ deprehenduntur. Rore enim cœlo ſereno cadente, non minus quàm aurâ marinâ frigidâ, incautos urunt: nullus enim paulò prudentior, qui modò ſui juris ſit, illi ſe periculo objicit. Ex his perſpicuè deducitur æquitas atque utilitas conſilii infirmis ſuperiùs dati; ut nempe æſtate paulò poſt ſolis occaſum eant cubitum, at hyeme octavâ aut nonâ horâ veſpertinâ. Hæc nempe tempora toto reliquo die plura intentant infirmis pericula, contra quæ tepido ſe lecti fotu munire prodeſt. Hinc etiam ratio redditur vulgaris obſervationis, paucarum nempè mediam noctem præcedentium quàm bis tot horarum eam ſubſequentium ſomno corpus magis refici: non utique propter tempeſtivam tantùm requiem, ſed &, quod rei caput eſt, propter majora illius temporis pericula cautè & prudenter vitata, quæ horis antelucanis jam præterierunt.

Levia forſan hæc validis & robuſtis videbuntur, quos ſcilicet minuta & exilia

non tangunt. At infirmis, qui, ut ſubtiliores trutinulæ, paulo momento huc illuc impelluntur, graviora pericula adferunt frequentes circa has etiam minutias errores.



CAPUT IV.

De Motu & Quiete.

§. 1. PRoximum eſt ut de motu & quiete dicamus, quorum commoda inſtitutio non minoris ferè ad vitam ſanam momenti eſt, quàm ad ipſam vitam nutrimentum.

An ea fuerit primis noſtris parentibus, priuſquàm peccato ſuo omnium Dei donorum jacturam fecerant, corporis fabrica, poſteris etiam, ſi in fide ſuâ erga Deum perſtitiſſent, permanſura; quæ ſedentariam & contemplativam vitàm ſinè incommodo perferre potuiſſet; uti inutilis, ita etiam, ut nunc ſunt res humanæ, difficillimæ diſquiſitionis quæſtio eſt. Priſtinum enim illum ex hodierno rerum òrdine nullâ certâ ratione colligimus. Nam ut primorum hominum indoles animique facultates in deterius mutatæ manifeſtò apparent: ita non obſcurio-

ra ſe produnt indicia mutatæ ſimul naturæ cùm omnium terrenorum corporum tùm præcipuè animalium plantarumque ab eâ quâ tùm præcellebant cùm Deus omnia ſua opera integra & perfecta pronunciavit. Ne ipſa quidem cœleſtia corpora, quatenùs noſtris uſibus inſerviunt, magnæ illius viciſſitudinis noxam evaſiſſe videntur. Cujus rei idoneum profectò teſtem habemus Divum illum Paulum qui in interiora cœli adyta admiſſus multa inenarrabilia audivit, viditque. Is, *omnia creata*, * prodit, *inertiæ & corruptelæ non ſuâ ſponte mancipata, vi ipſis illatâ ingemiſcere, in eamque inſtaurationem ſui eluctari quæ adornandæ reducum â terreno exilio hominum, filiorum* Deo *patre dignorum, pompæ deſtinatur.* Utcunque verò hæc fuerint; his Dei ad Adamum verbis, † *in ſudore vultûs tui comedes panem*, non tam pœna irrogari videtur quàm ſalutaris exercitatio imperari, occurſurum morbis, rebus jam novatis, orituris remedium, fructûſque venenati ex infelici, ſi qua uſquam, arbore decerpti præſens antidotum. Hoc mihi ſuadet inevitabilis exercitationis neceſſitas, quam niſi adhibeas fruſtra vegetum firmumque & perennaturum corporis robur expectes. Quantùmvis enim accuratè delecto alimento, quantùmvis temperan-

* Rom. VIII. † Gen. III. 19.

ter te nutrias, quâcunque evacuatione cùm modum excesseris oppressum corpus exoneraveris, quòcunque demùm te vertas; ea tamen est humani corporis fabrica & dispositio ut, nisi exercitatione ejus fibras intendas, humoresque comminuas, hi lentescant, illæ laxatæ resolvantur. Artuum denique juncturæ & cardines nisi frequenti rotatione eorundem volubilitas conservetur, rigescent, mucusque iis lubricandis destinatus in lentissimum gluten abibit. Hinc morbis diuturnis materia, fractumque & enerve senium, si tamen senii tempora non antevertat mors. Neque solùm frigido crassoque sub aëre crassoque cibo viventibus; sed & clementissimo purissimoque cœlo tenuique & facilè concoquendo victu fruentibus agitatio corporis necessaria est. Si enim aëris calor tantus sit ut, sine exercitationis auxilio, amplæ perspirationi excitandæ sufficiat, sudorem profectò inducet, eoque fibras laxabit & humores inspissabit. Cui utrique malo occurret exercitatio, commodo tamen tempore, dum scilicet, mane & vespere, frigido propior aër tepet, obeunda. Et quanquam victus tenuis ad prohibendam sanguinis incrassationem vel maximè conducat, nisi tamen subsidio veniat exercitatio, non omnia solus poterit; nec ad fatiscentium otio fibrarum intensionem quid-

quam, præter impedimenti amotionem, confert. Nec ſi junctis viribus concurrant cœli clemens moderatuſque calor victuſque tenuis, ſine exercitatione debitam artuum cardinibus mobilitatem conſervabunt.

§. 2. Veriſimillimum mihi videtur animalium carnibus potuque arte facto hominibus, quales primitùs conſtituti fuerunt, non licuiſſe veſci; quibus ſcilicet plantas in victum conceſſas fuiſſe accepimus à ſacro Scriptore nullam interim illorum mentionem faciente. Hominum ventriculi non iis pollent viribus quibus animalium prædâ viventium; nec, ſi naturam ducem ſequantur, eâ ſunt voracitate quæ ſolis carnibus ſatiatur, aut aliud quàm aquam ſitiunt; nec ita duro crudelique animo à naturâ inſtructi ut immiſericordes ferique animalia ſibi quadantenus cognata jugulent, lanient, eviſcerent. Mitiùs certè ſentiebat primævum hominum genus: neque priùs eò feritatis profecti videntur quàm omni ſcelerum fœditate contaminati labem contraxerant non niſi diluvio eluendam. Quâ facinoroſorum hominum ſtirpe recisâ ne nova progenies, auctâ cum annis nequitiâ, eadem quæ priores impia molirentur; contracta novem decemve ſæculorum prolixitate, vitam humanam Deus intra unius centuriæ anguſtos limites concluſit, denuò breviori

bus terminis circumſcribendam. Eâ causâ videtur ſapientiſſimus omnium rerum administrator, efficaciſſimum vitæ filo reſcindendo inſtrumentum, animalium carnes, vinum & deinceps invenienda luxûs irritamenta, grataque venena, obduratis vitiati generis humani affectibus indulſiſſe; non interim neſcius quæ ignavis & luxurioſis voluptatem, ſed vitæ inſidioſam, afferrent, ab his diligentiſſimè ſibi cauturos probos prudenteſque qui domitis & pacatis animi ſui affectibus frænatoque appetitu & Deo ſe placere ſcirent & felicitati ſuæ commodiſſimè proſpicere. Eâ certè occaſione ex ſacris Scriptoribus diſcimus & conceſſum hominibus carne veſci & vinum eoſdem bibiſſe: poſtquam ſcilicet experientia monſtraverat non ſolo moderato victu (qualis erat primorum hominum ſolis plantis viventium) coërceri poſſe tam longævam improbitatem, nec ſceleratorum artes incrementi modum habituras niſi, contractis vitæ terminis, opportunitas ſimul in nequitiâ proficiendi tolleretur. Non nego difficillimum eſſe, nec poſſibile quidem ut nunc res ſunt, animalculorum quorundam, plantarum nempe foliis, fructibus, radicibus inſidentium & nidulantium, vitæ parcere, niſi omni omninò nutrimento abſtineamus. Sed, præter ea quæ de primigeniâ rerum

facie penitùs mutatâ jam dixi, meminiſſe convenit aliud eſſe animalis vitam alioquin in plures annos duraturam volentes ſcienteſque reſcindere ut malæ fami cupidinique noſtræ indulgeamus; longè aliud inevitabili caſu animalcula brevioris ævi, trimeſtria puta aut ſemeſtria, animâque vix, eâ quæ plantis infuſa eſt, nobiliore prædita opprimere. Utcunque ſit, ſive verum conjecturâ attigimus, ſive aberratum longiùs eſt: hoc ſaltem œconomiæ animalis & fabricæ humanæ peritis, eorumque quæ ſobriè viventibus quæque rursûm liberiùs evagantibus accidunt non ignaris, obſcurum eſſe nequit; pleniore carnium uſu, vinique & aliorum liquorum artefactorum potu copioſiore, vehementioribus affectibus animum conturbari, infirmorumque corpora diuturnis morbis fracta graviter moleſtèque ſenii tædia perferre, ſi tamen eo uſque perdurent neque priùs vitæ filum intemperantiâ abruperint. Cujus veritatis ſupra omnes alios illuſtrem imprimis teſtem habemus Cornarum. Robuſtum quidem firmumque à primâ origine corpus quanquam iſtiuſmodi victûs impetum diu ferat; & operariis, duro ſimul labore victum quærentibus durumque cibum digerentibus, carnium eſus potuſque generoſus quodam modo neceſſarius ſit, quo nempe temporariæ vires inſignes ſup-

peditantur: celeriùs tamen etiam horum fibræ validis hujusmodi motibus deteruntur corporisque tota machina frangitur; & imbecilles præcipuè, nec eadem ferre possunt; nec, si possent, lacertoso illo & ad labores infracto robore egent, quibus quippe ea fibrarum firmitas sufficit quæ, modicâ exercitatione adjuta, tantum alimenti concoquat, quantum vitæ sanæ satis est, non quanto athletis ad cursum luctamve est opus.

§. 3. Deambulatione, equitatione, vectatione, gestatione, tripudiis, cursu, globorum, pilæ, rudium ludo, saltu, fossione, sexcentis aliis modus totum simul corpus, aut privatim aliqua ejus pars plùs minùsve exercetur.

Exercitationum toti in commune corpori salubriter utilium deambulatio ineruditæ, nec artibus instructæ naturæ, prima placet: nec commodiorem ars substituere posset, nisi infirma corpora priùs ambulando lassata & exhausta deficerent quàm quantum sanitati satis sit agitentur.

Quare equitationi palmam do, quâ minimo labore viriumque dispendio sanitati prospicitur. Totam ea corporis machinam, concutiendo transpirationi egregiè favet secretiones promovet, omnesque fibrillas leni vellicatione ad contractionem impulsas

firmat roboratque, aspirante interim opemque ferente aëre qui subinde novus variusque (celeriùs præsertim & inæquali solo, nunc collibus surgente, nunc in planitiem subsidente, vectis) nunquam non villos stimulat novasque in contractiones sollicitat; dum simul, quod magni ad sanitatem momenti est, animus amænâ ruris varietate delinitus tranquillitate perfunditur.

Equo regendo aut imperitiâ aut infirmitate inidonei curru vehantur. Vectio enim claudis, viribus fractis, decrepitis senibus, puerisque habenarum impotentibus apprimè convenit.

Hæc usitatiora sunt exercitationis genera toti corpori communia; quæ saltem infirmis conveniunt. Cursus enim & saltus robustis magis congruunt. Et de gestatione eadem dicenda essent quæ de vectione sunt dicta.

Domestica exercitia, inclementi cœlo, campestrium locum rectè tenent. Tùm enim reticula palmarem pilam jactare, aut clavâ eburneam, quam * supra laudavimus, pulsare expedit. Alioquin aëre quantum per tempestatem licet fruendum est, qui exercitationi commodè auxiliares copias submittit.

Quanta autem sit exercitationis in fir-

* Cap. I. §. 10.

mando corpore utilitas pueri docent, naturâ duce curſui, ſaltui, luctæ, omni denique laborioſæ exercitationi ad laſſitudinem uſque ita avidè dediti ut deſidere domique ſe continere illis inſtar omnis ſupplicii ſit. Quæ profectò ſapienti natura conſilio inſtituit. Sic enim imbecilles eorum artus ſenſim roborantur & ad omnem motûs varietatem faciles redduntur: ſanguis aliique corporis humores nec lenteſcunt nec ſtagnant nec aliàs corrumpuntur, perſpirabilis materia copiosè liberèque per meatus ſuos tranſmittitur, fibræ denique ad præſtitutos ſibi expanſionis terminos, vegeto interim motu confirmatæ, tutò maturèque exporriguntur.

§. 4. Neque minore infirmorum emolumento obſervare licet quid operariorum labor ſingulis artubus roboris adferat. Iis enim, quamvis alia membra gracilia ſint, quæ tamen proprio ſibi opere exercent toroſa nervoſaque fiunt. Vide lecticarum geſtatoribus quæ crura & femora, qui remigibus lacerti quàm lata pectora, quàm validi bajulis humeri, quàm muſculoſum dorſum firmique lumbi! clarâ voce eloqui pulmonem confirmat & ventriculi concoctionem promovet. Verbo, cuivis membro exercitatiori copioſior & elaboratior ſanguis ſpirituſque ſubtilior plenius nutrimen-

tum vireſque firmiores adfert. Ea etiam eſt corporis fabrica & aſſuetudinis vis ut ſi quis quò ducendus ſit humor, ſive nutritius ſuccus alliciendus, ſive noxius eliminandus latex, id exercitatio præſtet, & per vias notas faciliùs fluat liquor. Ungues ſæpe reſecti promptiùs ſuccreſcunt. Capilli frequenter tonſi firmiores impigrè ſtirpes radicibus ſuis emittunt. Perſpirabilem materiam per urinæ vias, imò per alvum facilè ducas. Auctâ iterùm perſpiratione parcior urina fluit, ſtipatur alvus. Cujuſvis denique functionis animalis organum moderato congruoque labore firmatur; nimio perit & labefactatur.

§. 5. Hæc intuens, aſthmate (non tamen ſicco & convulſivo) pulmoniſque imbecillitate laborantibus ſuadeo clarâ voce loquantur, ſine vociferatione tamen, & per loca leniter acclivia deambulent, identidem (monente notabili reſpirandi difficultate) gradum ſiſtentes; producto paulatim exercitationis tempore & accelerato gradu donec aſſueti majora & loci & temporis ſpatia tutò aggrediantur.

Ægrius concoquentibus cibos, capitiſque dolore à ventriculi & inteſtinorum vitio (ut plerumque fit) orto laborantibus, omnibus denique fibrarum laxarum inerti mollitie languentibus equitationem com-

mendo frequentem puro ſiccoque ſub aëre, & quotidie, ſi fieri poſſit, alio atque alio:

Nephriticis doloribus & calculo afflictis vectationem per aſpera viarum:

Rheumatiſmo obnoxiis, pilâ ad pleniorem ſudoris manationem ludere, ſtatimque cùm deſierint lectum petere ubi ſudationi faveant liquorem quemvis tenuem calidum liberè bibentes, cujus ſingulis hauſtibus ſpiritûs cornu cervini aut ammoniaci ſalis decem guttas inſtillaverint.

Lacertorum crurumque infirmitati pilâ palmari & pedali optimè medetur.

Podagra detentis commodè paroxyſmi differuntur equitatione & vectatione; poſt paroxyſmum deambulatione per aſperum & inæquale ſolum promptiſſimè ad liberum crurum uſum reditur.

§. 6. Infirmis omnibus, præcipuè literarum ſtudioſis aliiſque ſedentariis, gentium orientalium exemplo (quibus manuarium aliquod artificium exercere inter religionis officia eſt, non minùs quàm ſtatis temporibus peregrinationes ſuſcipere) religio ſit exercitationis ſtata tempora neglexiſſe: ſtata, inquam, tempora, non incurioſiùs quàm religioſi cultûs, refectionis, ſomnique horas ſervanda. Tres ad minimum quotidie horas (quibus vacat) equitationi, aut

duas deambulationi dent; partim ante prandii tempus appetitui excitando, partim ante ſomni horam digeſtioni promovendæ. Occupatioribus cùm quod velint non liceat illi quod poſſunt velint, omnemque exercitandi corporis opportunitatem arripiant.

§. 7. Tres præterea leges ſunt exercitii ſalutariter obeundi.

Una eſt ut ventriculo non turgente peragatur, tempore nempe omni medicinali operi commodo. Sic enim, digeſtione perfectâ, jam cocta naturæque ordine ad ejectionem præparata, opitulante exercitatione faciliùs commodiùſque eliminabuntur: cùm contrà, pleno ſtomacho, cruda præmaturè in vaſa ſanguinis protruderentur, ſecretio perturbata præcipitaretur &, cum ſuperfluis, utiles etiam ſucci projicerentur.

Altera eſt, ne uſque ad laſſitudinem, animi dejectionem, aut ultra prima levis ſudoris initia protrahatur: ne fortè fibras reſolvat deteratque quod iiſdem roborandis deſtinabatur; vireſque frangat, nedum reficiat, œconomiamque animalem turbet, importunè adhibita, ſaluberrima aliàs medicina.

Tertiò denique, exercitatione ſi incalueris, eàdem finitâ à ſubitâ refrigeratione omni ope tibi cave, cubiculoque aut com-

modo quocunque loco, cœli frigidi inclementiam vita, ne in corpus inanitum nitrosæ aeris particulæ se insinuantes humores accendant & destillationem, rheumatismum aut febrim gignant.

Diligenter interim (quod quartæ legis vice esse poterit) hîc advertendum est, exercitationem, nisi temperantiæ conjunctam, ita nihil prodesse ut potiùs obsit. Appetitui enim quem illa excitaverit nisi hanc moderatricem ponas, fibras jam levatas novo onere premes, & in vacuatos canales semiconfectum alimentum præcipitantiùs se intrudet. Sed hæc suprà plenè tractata ulteriùs prosequi supersedeo.

§. 8. Cum de exercitatione loquor, commodum erit ut de corporis in aquam frigidam immersione paucis dicam, quòd similia iis quæ exercitatio præstet.

Hanc dilectæ quondam genti suæ à Deo per summum legum latorem Mosen imperatam, Christique deinde sequacibus, trinæ immersionis sacro ritu in Ecclesiam introducendis, præscriptam, eodem utrobique Dei Spiritu auctore qui & hîc & ubicunque humani generis res agitur officium nostrum cùm felicitate nostrâ arctè conjungit: hunc, inquam, morem, tanto imperio sancitum, tamque salubrem, exolevisse impensè miror. Quod ad multiplicia ejus

commoda reſpicienti jure mirari videbor.

Primò, quantum liber perſpirabilis halitûs egreſſus ad ſanitatem integram conferat jamdudum omnibus notum eſt. Neque ignotum eſſe poteſt frequenti corporis ablutione meatuum ejus egeſtioni dicatorum oſcula mundari, pingueſque ex denſatis corporis effluviis coactas ſordes, exitum illi præcludentes, abſtergi.

Deinde, ſanguinem indéque genitos humores pleno, libero nec impedito circuitu per minimos quoſque meatus ſuos ferri referrique, maximi eſſe ad ſanitatem & longævitatem momenti quis neſcit! At hunc circuitum immerſio in frigidam immane quantum promovet. Vivido enim primùm ictûs impetu ingentique aquæ pondere vaſa omnia exteriora conſtricta corrugataque ſanguinem pleno alveo versùs cor propellunt, qui deinde (auctis jam hinc cordis viribus) pari rapiditate recurrens, jamque omnem quamcunque arteriolis minimis (quæ præcipuè obturationi obnoxiæ ſunt) hærentem eaſque obſtruentem lentorem momento ſuo ſuperans eundem protrudit, plenumque & liberum per univerſi corporis canales circuitum abſolvit.

Tertiò denique, infirmis nihil æquè nocet, aut exercitationis commoda præripit,

ac nitrosas humentesque per aerem natantes moleculas intra corpora sua recipere, quod frigus suscipere vocant. Cui malo nihil potentiùs obsistit immersione in frigidam. Et ratio enim & experientia testatur, attenuatis priùs exercitatione humoribus confirmatisque fibris, si ita præparatum corpus frigidæ immergatur, tàm citato cursu circumagi sanguinem ut & noxios quoscunque jam ingressos intrave se genitos humores facilè expellat &, cùm copiosæ hinc provenientis transpirationis effluxu tùm constrictis frigidæ vi cutis fibris, squamulisque epidermidem constituentibus purgatis compactisque, omnem deinceps ingressuris aditum præcludat.

§. 9. Quare omnibus infirmis (quibus saltem id licet) suadeo, commodo aliquo ædium suarum loco frigidarium ædificent, aut defodiant potiùs (ipso profectò triclinio aut cubiculo non minùs utilem ædificii partem) cui certum sit se immergere bidui, tridui, aut quatridui ad summum intervallo, tam per hyemem quam per æstatem. Quibus id, quâcunque de causâ, non licet, ii quoties commodè possunt fluvio, lacui aut cuivis aquæ vivæ se immergant.

Cavendum interea ne frigidarii intempestivus usus noceat. In paroxysmis enim morbi diuturni, arteriâ celeriùs pulsante,

ventriculo crudis cibi reliquiis aut quâvis impurâ colluvie onuſto, & capite dolente, omninò illo abſtinendum eſt. Nec, ſi pulmonem, ventriculum aliudve ſingulare viſcus morbus privatim occupaverit, frigidarium proderit: imò infirmum membrum reliqua, immerſione confirmata, validiùs prement, opprimentque.

Curandum inſuper ut debitâ cum cautelâ præſtantiſſimum remedium adhibeatur. Quare imprimis videndum ne nimiâ ſub aquâ morâ, aut ſæpiùs repetitâ immerſione algeant, rigeantque. Hyeme item frigidarium egreſſi, ſtatim atque veſtimenta induerint corporis exercitationi ſe dedant.

Infirmi ante ingreſſum caput aquâ perfundant; ſaltem humenti ſpongiâ lavent.

Vulgatum denique morem temerarium præcipitandi ſe in aquam non probo, quòd vehementi nimis ictu hinc infirmorum corpora conquaſſentur, periculumque immineat ne aliquis è minoribus canaliculus accelerato repentè ſanguinis motu dirumpatur. Præſtat, fune de laqueari pendente manu prehenſo, quantocyùs gradibus ad frigidarii fundum deſcendere, dein flexis genibus caput profundiùs ſubmergere, idemque, poſt breviſſimam moram, reſpirandi causâ exerere; poſt ſecundam denique aut tertiam immerſionem egreſſos craſſo lin-

teo ſiccari, fricari, ſtrigile diſtringi, indui.

§. 10. De ſtrigilis (quo nomine ſignare liceat ſetaceas ſcopas corpori fricando adhibitas, inſtrumentum ſtrigili veterum uſu non abſimile, quantùmvis fabricâ diverſum) de ſtrigilis, inquam, eximio uſu in fibris leniter ſtimulandis, humorum circuitione accelerandâ & halitûs perſpirabilis egreſſu promovendo aliquid ſuprà de exercitatione dictis ſubnectendum eſt. Nemo neſcit equus ſtrigili ſtudiosè diſtrictus quàm lævis, toroſus, agiliſque, quàm alacer, quàm vividus; quàm contrà horridus, ſtrigoſus atque iners degat quem ſtrigilis non fricuerit: ut videatur equus ſemipaſtus, ſeduló tamen diſtrictus, alio plenè paſto, ſed incompto, longè habitior. Stigilis nempe operà leniter ſtimulantur cutis & cuti proximæ fibræ; unde perſpiratio augetur, humorumque corporis recrementa, ſanguinis per minimas arteriolas venulaſque circuitioni obſtantia, expelluntur. Iiſdem illis arteriolis venuliſque humore copioſo ſic repletis muſculi, qui illis magnam partem conſtant, & toroſiores & motibus validioribus perniciori buſque apti fiunt. Eoſdem ab iiſdem cauſis effectus in aliis animalibus meritò expectes quos in equo cernis. Et homo ſi eâdem curâ tractetur eadem inde commoda

capiet. Imbecilli igitur & ſedentarii, præcipuè quibus paralyſeos periculum imminet, aliorum exercitiorum inevitabilem quandoque defectum rectè ſupplebunt, totum corpus, maximèque artus, per horæ circiter dimidium manè & veſperè, craſſioribus aſperioribuſque linteis ſetaceoque ſtrigili ut rubeant fricando. Imó etſi exercitatione liberè & quoties libet fruantur; magno tamen ſuo commodo & hujuſmodi ſimul frictionem tuendæ ſanitati adhibebunt.

Omne inſuper quadrupedum genus quorum carnes menſis deſtinantur ſtrigili diligenter diſtrictum, eaſdem ſucculentiores, guſtui ſuaviores, morborumque contagio liberiores, hoc eſt, magis ſalubres & nutrimento bono multoque plenos præberet. In volucribus, quorum magna pars corporis ablutione ſummopere delectatur, eadem præſtaret immerſio in frigidam. Et hæc miror elegantiores & erudito luxu viros non vidiſſe, aut viſa in uſum ſuum non arripuiſſe.

Ex præſcriptis motui legibus, quietis tempora modumque intelligere non erit difficile.

CAPUT V.

De Excretis & Retentis.

§. I. CUm non tota alimenti humani materia corpori nutriendo apta ſit; neque tanta humoris copia ſanguini utilis ſit quanta alimento concoquendo chyloque inde confecto in vaſa ſanguinis deducendo neceſſaria eſt; nec denique fieri poſſit ut vitæ actiones peragantur quin continuò à canalibus omnibuſve ſolidis corporis partibus ramenta deterantur, & fluentes per eoſdem humores (ſive quod corruptioni obnoxii ſint ſeu quia non quicunque per minimos etiam canales tranſiverunt protinus in materiam nutritioni idoneam redigi poſſunt) perenni purgatione egeant: tribus præcipuè modis natura ſuperfluorum egeſtionem molita eſt. Per alvum ſcilicet ciborum fœces ſive chyli recrementa, per veſicam inutilis ſanguinis liquor, per innumeros denique meatus in cutem patentes detrita fibris ramenta ſuccorumque è ſanguine colatorum purgamenta ejiciuntur. Ut autem ſanitas conſtet vitaque, quantum fas eſt, in longum producatur, ſingula hæc de-

bito modo, quantitate & tempore, certâque lege excernenda ſunt.

§. 2. Alvi fæces neque fluidæ neque duræ, ſed mediæ inter utrumque extremum denſitatis è ſanorum corporibus exeunt. Veriùſque quàm elegantiùs dictum eſt; oportet ſanorum ſedes eſſe figuratas.

Quibus ſtipatâ alvo, paucæ duræque excernuntur, iis aut nimio labore corpus exaruit; aut potu generoſo pleniore incaluit; aut ſeveriori jejunio maceratis parùm ſupereſt dejiciendum; aut digeſtionis vis languet; aut periſtalticus inteſtinorum motus ceſſat, quo fit ut chylus lacteorum ductuum oſculis diutiùs objectus per illa quicquid in ſe humoris eſt tranſmittat, fœceſque, non niſi exſuccas & arentes, deponat.

Qui liquidiores magnâque copiâ detrudunt, ii alimentis aut naturâ ſuâ aut nimiâ quantitate ventriculi vires ſuperantibus veſcuntur. Crudi hinc geniti chyli copia major quàm quæ lacteis ductibus inferri poſſit, intra inteſtina aceſcens & fermentata, Pharmaci ritu illa ad ſui expulſionem ſtimulat, tandemque cum fœcibus dejicitur. Infirmis bubulâ, porcinâ, piſciumve carne, artocreate, variis ferculis arte coquinariâ confuſis, aliove quocunque nutrimento ventriculi viribus indomabili pleniùs paſtis ſolenne eſt ſemicrudum chylum per inteſtina

ſe præcipitem dare, quæ deinde gravia tormina colicique dolores excruciant, languente interim profundèque dejecto animo. Cibus enim, ſive durus frangique contumax, ſive diſſimilium commiſtione in fermentationem pronus, conſpirante etiam ſuo pondere, à ſtomacho ad recti uſque inteſtini extremum finem omnes fibras vellicans, alibilis ſucci vix pauxillâ portione in chyli ductus ad nutriendum corpus admiſsâ, totus ferè crudus effluit: neque hujuſmodi victu corpus magis reficitur (imò minùs, ut mox oſtendam) quàm vel parciſſimo. Hoc tamen diſcriminis intereſt quòd alimento copioſo inutiliter ingeſto ventriculus & inteſtina affligantur, reliquumque corpus & partium conſenſu, & non ſatis ſubacti chyli renixu in canalium eum comminuere molientium latera, paria patiatur.

Quare ex fœcum conſiſtentiâ certò dignoſcitur an eam tantùm, ejuſque generis, alimenti quantitatem adhibuerimus quæ corporis uſui ſatis ſit nec digeſtionis viribus major; an modum ſuperaverimus. Et tantam profecto vim habet ad irritanda inteſtina quodcunque digeſtionis vi indomabile eſt, ut non aliâ de causâ putem Peruanum corticem, nimiâ quantitate infirmioribus exhibitum, alvum ciere; mercuriumque, ſive devoratum ſive cuti affricatum, ſæpe

effræni alvi purgatione præcipitem ſibi exitum quærere neque ſalivæ profluvium excitare; quàm quòd nimiâ nec ventriculi fibrarumque viribus reſpondente quantitate peccatum ſit. Suâ enim naturâ Peruanus cortex aſtringit, mercurius patentes glandularum ſalivalium exitus petit. Imò ipſum diaſcordium theriacamque Andromachi ſæpè vidi alvum ſolvere infirmis quibuſque ſcrofula viſcera occupaverat. Quo damno iſthæc medicamenta minimè noxia ſunt cùm minore quantitate exhibentur. Et morbis mercurio ſanabilibus tutiùs mederi, ſi lentiùs, à parvis initiis, ſenſim augendo medicamenti doſin, progrediaris, multiplici certaque experientiâ edoctus probè ſcio.

§. 3. A præſenti argumento nòn alienum erit funeſtum quorundam errorem notare qui infirmi, macri, ſtrigoſique cùm ſint omni ope nituntur ut obeſuli & habitiores fiant. Quod ut aſſequantur, cibi alibili ſucco ditiſſimi potûſque cujuſvis generoſiſſimi magnâ ſe copiâ ingurgitant; neſcii hoc ipſo augeri morbum quo ipſi tanquam medicamento eundem abigere ſatagunt. Illis enim rubella ſanguinis portio minor viſcidiorque eſt & ſeroſa pars liquidior atque aquoſior (hoc eſt, ipſe ſanguis tabet macetque) ſolidæque fibræ torpent reſolutæ. Cùm autem pro ſanguinis craſi fibrarumque robore valeant

leant aut langueant coctrices vires; tali in corpore necessariò invalidæ erunt, nec tali, tantoque alimento frangendo, comminuendo, accuratè miscendo pares; chylumque nutritioni ineptum conficient, qui propterea aut totus per alvum præcipitabitur; aut si qua ejus portio canales sanguinis ingrediatur, crassior cùm sit quàm quæ sanguini probè commisceri in eundemque cum illo liquorem coalescere possit plurimùmque ab illâ tenuitate & fluiditate deficiat quæ necessaria est ut minimos corporis canaliculos subingredi queat, eos nempe qui nutritivæ materiæ advehendæ inserviunt (cùm enim minimæ quæque corporis particulæ nutriantur minimis etiam canaliculis nutrimentum advehi necesse est) per urinæ, sudoris, aliosque meatus diffluet; miserumque animal ipsâ copiâ egenum media inter fercula fame enecabitur. In eo igitur isti peccant quòd viribus suis superiora alimenta ingerant; cùm tamen cibo levi, tenero, refrigerante, molli, aut qui à naturâ aut ab arte chyli similitudinem indolemque jam habeat, vesci deberent; (lacticinia dico, ova, jusculа tenuiora, & coacta quas gelatinas vocant, oryzam, hordeum, triticum, reliquaque cerealia, volucrumque & quadrupedum juniorum salubrique nutrimento pastorum carnes, albas tenerasque) omniaque præ-

terea alimenta sua sufficiente aquæ aut tenuioris cujusvis potionis copiâ ita diluere ut in ventriculo & intestinis satis comminui possint. Ego hujusmodi moretum, felicissimo cum successu, soleo commendare macilentis.

Gelatinæ simplicis è cornibus cervorum, è vitulorum cruribus, & è medullâ palmæ Indicæ fariniferæ saguâ dictâ excoctæ, floris lactis, vinique albi mollioris quale ex insulâ Palmâ adfertur, uniuscujusque selibra; cremoris quantum exprimitur sex pistaciis totidemque optimis (quales ad Jordanem fluvium proveniunt) amygdalis contusis; sacchari & cinnamoni aut myristicæ nucis quantum ad conciliandum gratum saporem satis est: hæc, inquam, omnia commisceantur, lenique calore, quo penitiùs coeant recoquantur.

Et hi etiam cibi quantumvis facilè concoquantur, non tamen ad satietatem usque ingerendi sunt; sed exiguis portionibus ideoque sæpiùs iterandis, nec nisi fame sollicitante comedendi. His si exercitatio moderata accedat, habitius fiet corpus, sed nondùm robustum, & caro gignetur, sed mollis. Cùm tamen eò res devenerit facilè

firmantur fibræ ſolidiore & valentiore cibo potuque generoſiore &, quæ hæc frangat & comminuat, exercitatione validiore. Ad quæ tamen non protinùs ſed lentè & pedetentim eſt progrediendum. Hanc methodum & ratio ſuadet: nihil enim non penitùs coctum & digeſtum animalis corpus nutrit: & obſervatio inſuper & experientia fulcit. Sic enim plantis ſuccreſcit quotannis nova quaſi cutis, mollis laxaque & morâ induranda. Sic equiſones peritiores, macilentos equos tractant; eòque (quod mireris) ſtrigoſum, anhelum, marcentem & jam tabeſcentem equum breviore temporis ſpatio obeſum, nitidum alacremque veterinarius dabit, quàm vel expertiſſimus medicus hominem. Non tamen diſſimulandum eſt, vix tantam humorum corruptionem fibrarumque ſolidarum diſſolutionem in pecora cadere quanta in homines cadit, gulæ dedita animalia.

§. 4. Eundem errorem errant nutrices matreſque in nutriendis infantibus: quorum magna pars non aliâ de causâ torminibus, coli intemperie, diarrhæâ, duro alvi tumore, ſuffocatione, flatibus, morbiſque convulſivis excruciatur; quàm quod nutrices matreſque, ipſæ gulæ deditiſſimæ, alumnorum etiam ſuorum nimiâ lautioris cibi potûſque generoſi copiâ infirmos ventriculos

diſtendant, eòque vires obruant. Nam quid, quæ o, alvi fœces viſcoſæ, cineritii coloris, hoc eſt, chylo plenæ, nigricantes item & bilioſæ, inteſtinorum murmura & undantes motus, ſtrangulationis ſenſus, flatuſque, infantibus familiaria ſignificant, niſi crudum & ſemiconfectum ex ſuperfluo nimioque alimento chylum? quod ex ipsâ præterea horum morborum curatione manifeſtum eſt. Concharum enim pulvere acidos ventriculi & inteſtinorum ſuccos abſorbente, clyſmatis, fontanellis, veſicatoriis crudos nimioſque humores educentibus, rhabarbaro quod vacuat ſimul & inteſtina roborat, ſimiliumque eadem præſtantium conſtanti uſu, alimento denique facilè concoquendo & parciùs ingeſto tota res perficitur. Et cùm reliqua animalia, naturam ducem ſecuta, fœtibus ſuis invitis ſuperflua nutrimenta non ingerant: præſtaret homines eorum imitari ſobrietatem quàm ſupervacaneâ curâ noxiâque diligentiâ infantes vexare, morbiſque obrutos peſſundare.

§. 5. *Sæpe* infirmos & ſedentarios, præcipuè literato in otio ſegneſcentes audivi de capitis dolore, nauſeâ, alvi torminibus, coli doloribus, flatibus, animique dejectione querentes; cùm interim ſobrios ſe & temperantes, imò abſtemios profiterentur. Diligentiore tamen examine inſtituto nun-

quam non deprehendi ſobriis illis alvi fœces copioſas & liquidas dejici, certiſſimo mihi argumento plus eos alimenti ingeſſiſſe quàm quod vel concoqui poſſet vel corpori nutriendo ſufficeret. Nam, procul omni dubio, parcè ſobrièque viventibus fœces modicæ ſpiſſitudinis, aut etiam craſſæ & duræ ſunt. Ridiculè planè hypochondriaci, hyſtericæ aliique infirmi adeo languere ſe queruntur ut jamjam animo defecturi videantur; nec tamen ceſſant opipara robuſtaque alimenta devorare, potuque generoſo, imò & aquis cardiacis, ſe proluere: quo illi morbi fomite perpetuo, quam medicinam putabant, graviùs affliguntur. Non diffiteor recentem è generoſo alimento confectum chylum, aceſcentibus ventriculi & inteſtinorum humoribus miſtum, poſſe eorundem vellicationem aliquandiu obtundere ſuoque calore ita corpus fovere ut ſanguinis circuitio pauliſper promoveatur, ſicque doloribus ut dentur ad tempus induciæ; itemque operculi inſtar noxios ventriculi halitus comprimere ne caput nervorumque in cerebro originem tentent. Nam cerebrum non tantùm multitudine nervorum ſtomacho intextorum ventriculi mala ſentire; aut hoc ſive cibo ſive flatibus turgido, pleniore ſanguinis rivo illud peti, repleri, diſtendi conſtat: ſed & halitibus ſubtiliſſimis quos

abdomen, humorum fermentantium & putreſcentium ſpurciſſimâ colluvie (gravi illius corporis regionis, cùm nudatur, odore tetroque ipſius oris animæque fœtore, ſe prodente) differtum, per medium pulmonem fortiùſque obſtantia cranii inferioris oſſa nequaquam tenuia evibrat atque validè ejaculatur: talibus, inquam, halitibus cerebrum nervoſque tentari non ignorant quibus perſpecta eſt ſubtilis ſupra quàm facile credi poſſet natura effluviorum cùm omnium tùm præcipuè è fermentantibus & putreſcentibus corporibus, maximè animalibus, emicantium. Sed temporaneum remedium malum poſtmodùm auget. Sicut enim in cloacam quæ pura & dulcia projicis, ea ipſa deinde corrupta fœtorem augent: non aliter ventricnlo & inteſtinis impuris humoribus repletis accidit, ut quæ ſana & ſalubria exceperint, non ſine contagii labe dimittant. Quare, valere cupientibus, cùm hâc non ſuccedat, aliâ aggrediendum eſt viâ. Cloaca nempe primùm evacuanda eſt, deinde omnis ſordibus aditus præcludendus: hoc eſt, abdominis primùm colluvies vomitu alvique dejectione purganda eſt, deinceps gulæ invigilandum ne nova impurarum ſordium materia ſubingrediatur. Quod ſine labore peragi non poſſe fatendum eſt, ſed quem forti animo toleratum non

deficiet merces, ſuavis puta vitæ tranquillitas & à ſuprà memoratis morbis immunitas, qui gulam non frœnantibus cùm accidunt vix aliam agnoſcunt cauſam quàm intemperantiam ignavamque deſidiam.

§. 6. Qui ſemel tantùm de die & temperanter carne veſcuntur, ſemel etiam quotidiè illis familiare eſt alvum dejicere. Qui ſæpiùs ventris onus deponunt, aliquâ temperantiæ fines tranſgrediuntur. Qui nervorum aut quibuſvis diuturnis morbis mederi ſatagunt parciſſimo utantur victu neceſſe eſt: quare illis alternis tantùm diebus alvus movetur, ejuſque adſtrictæ moleſtia forſan ferenda eſt. Quamdiu enim ſoluta illis alvus fluit, fruſtra laxatas corporis fibras contrahere aut confirmare nituntur; cùm unde orta eſt prima mali labes, indidem medela inchoanda ſit, exinde per reliquum corpus diffundenda, ſicut contorto ab alterâ extremitate reſti ſenſim plicæ aut rugæ ad alteram uſque propagantur. Facilis eſt medicamentis aditus ad ventriculi inteſtinorumque fibras, ad reliquas difficilior & per circuitus atque ambages longior. Cumque fibrarum relaxatio, infirmitas, & vis elaſticæ defectus origo ſit omnium qui nervini dicuntur morbi, his nulla niſi quibus fibræ contrahuntur, ſtipantur, & roborantur medicamenta proderunt. Ea autem quoſcunque

primos illibatis ſuis viribus contigerint; ventriculi ſcilicet & inteſtinorum, villos validiùs corrugabunt & firmabunt. Verbo, qui non priùs confirmato ſtomacho atque inteſtinis, nervorum morbos arcere ſperat, idem à citharæ fidibus aquâ maceratis & flaccidis validos tremores & canorum liquidumque ſonum expectet.

§. 7. Experientia & obſervatione mihi compertum eſt, ſemel de die alvum exonerantibus cibi recrementa tertio poſtquam aſſumptus fuerit die per inferiora expelli: alternis tantùm diebus eo ſe levantibus onere, non niſi ſexto. Quod de infirmioribus, ut omnia ferè noſtra, dictum puta. Nam quibus præ fibrarum robore citatior eſt alvus, ii bidui aut etiam minore intervallo à cibo quovis comeſto ejus fœcem deponunt. Curioſi hæc vera experientur devoratâ quâvis nuce lævi quæ intacta tranſeat per inteſtina, nec illa irritet. Hujus varietatis cauſa eſt quòd quo minor fuerit alimenti quantitas eo diutiùs lacteorum oſculis objicitur, cùm minore ſuo pondere inteſtina minùs premat: quare hæc illud arctiùs amplectuntur & non niſi penitùs digeſtum omnique ſuo humore ſpoliatum dimittunt: unde temperantibus aridior alvus; intemperantibus verò, contrariâ de causâ, alimentorum progreſſus acceleratur: unde illis perpetua in-

testinorum lævitas; quâ nihil quidquam manifestiùs intemperantiam indicat. Præterea temperanter viventibus & semel tantùm de die carne vescentibus sæpè observavi accidere, si quando plenior pastus stomacho molestior fuisset, licet per insequens biduum & animo & corpore optimè se habuerint, ut tertio demùm die quo plenioris cibationis recrementa per alvum secedebant animo dejicerentur, flatibus distenderentur, oculi caligarent, caput gravaretur, intestina colicis, totumque corpus rheumaticis doloribus urgeretur. Unde colligere licet,

(1.) Eodem temporis spatio alimenta in chylum sanguinemque redacta minimos corporis canales ingredi, indeque perspirabilis halitûs specie exire, quo eorundem recrementa per intestina vecta ano ejiciuntur.

(2.) Verissimum esse Medicorum axioma; *Primæ concoctionis errores subsequentibus non emendari* (nisi fortè sequenti articulo dicenda generali regulæ limites ponere videantur): indigestus enim cibus, cùm transpiraret, molestior fuit quàm cùm stomacho gravis incumberet.

(3.) Hominum vulgus egregiè falli cùm quæ patiuntur mala, malorumque quæ sentiunt solamina, alimento aut medicamento

proximé deglutito accepta referunt. Imò coli, verbi gratiâ, intemperie laboranti per duos tresve dies tenui victu utendum est priùs quàm insigne & manifestum aliquod morbi levamen à temperantiâ sentiat; quod quidem non maturiùs est expectandum quàm id elapsum fuerit intervallum post quod ei redire solet alvi exonerandæ cupido.

§. 8. Quædam alimentorum genera, nonnunquam ventriculo & intestinis gravia & molesta dum primam concoctionem subeunt, posterioribus tamen facilè cedentia, tutissimè comeduntur. Talia sunt lacticinia, caseus, ova, cerealia, oluscula, quæ (etsi arte culinariâ optimè præparata & debitâ quantitate assumpta) fieri potest ut quorundam, præcipuè carnium esui assuetorum, stomachis graviora sint & flatibus intestina repleant. Sed huic malo remedium adfert aquæ potatio. Nec hujusmodi alimentorum partes ita firmiter cohærent aut sale urinario abundant quin aqueo humore competenter dilutæ & in tenuissimas quibus constant particulas comminutæ etiam angustissimos corporis canales facilè subeant viribusque coctricibus, si vel pauxillæ supersint, obsequantur, ideòque chylum tenuem, fluidum, lenemque præbeant, secundariis concoctionibus domabilem, salutarem, nec

diuturnorum morborum ſeminibus fœtum. Et flatus inde geniti cùm ſpiculis ſalis non inſtruantur, qualibus illi muniuntur qui è carnibus potuque ſpirituoſo exhalant, non magis puro quem ſpiramus aëre nocebunt.

§. 9. Altera evacuationis materia urina eſt: quæ qualis, quantâ, quâque lege excernatur etſi vulgò minùs accuratè attendamus; non minima tamen inde lux effulget, ſanitatis ſtatui dignoſcendo & nutrimenti menſuræ modoque juſto deprehendendo utilis.

Urina citrini coloris, à cujus mediâ profunditate ad fundum uſque ſedimentum læve, figurâ coni cujus vertex ſurſum ſpectat dependet, quæque potûs dodranti quantitate reſpondet, optima eſt, alimentumque juſtâ proportione adhibitum accuratè digeſtum eſſe, neque crudis corpus humoribus repleri, oſtendit. Talis eſt eorum urina qui temperantiæ & debitæ exercitationis beneficio, integrâ ſanitate fruuntur.

E contra, liberiùs viventibus pleniùſque paſtis, urinæ pallentis, pellucidæ nec ſalſæ copioſa excretio planè indicat perſpirabilem materiam intra corpus detineri; chylum minùs accuratè comminutum & ſecundariis coctionibus minùs elaboratum in canalibus anguſtioribus hærere, liquidiorum humo-

rum imperfectam secretionem fieri, salis denique urinarii crassiores nec satis fractas moles aut sanguini strictiùs uniri aut in carnis solidæ interstitiis incommodè subsistere. Quem conturbatum œconomiæ animalis statum sequuntur animi dejectio, extremorum membrorum algores, cephalalgiæ, dolores aliâ atque aliâ parte rheumatici, coli & reliquorum intestinorum tormina. Hujusmodi urinæ profluvio moderando conducit, cubitum ituros compositi pulveris è chelis cancrorum aut confectionis kermesinæ aut raleianæ parvâ quantitate deglutitâ, vinum album multâ aquâ dilutum lactisque calentis sero medicatum (*possetam* vocant) plenis poculis bibere, obstructæ perspirationis denuò redintegrandæ causâ. Morbis autem postmodum secuturis ut occurratur, temperantiùs in posterum vivendum est & corporis exercitationi vacandum.

§. 10. Hic non pigebit differentiam notare quæ inter hypochondriacorum aut hystericarum urinam intercedit atque eam quam profundunt qui vero laborant diabete; cujus morbi metu non raró terrentur meticulosi quidam homines priore illo detenti. Utrorumque urina, primo saltem aspectu, similis est; utrobique par animi dejectio. Sed diabete laborantibus perpetua sitis, arteriæ frequens & debilis pulsus est,

urinæque dulcis & mellei ferè ſaporis diuturnius & copioſius profluvium ita nonnunquam immane ut paucorum dierum ſpatio miſero ægro vires, exhauſto corpore, ſuccumbant. Hypochondriacis autem & hyſtericis nulla aut minima ſitis, nec pulſus frequens, ſed contrà nimis rarus debiliſque, profluvium citò, ſive ultrò ſive diaphoretico aliquo medicamento, ſiſtitur, extrema denique corporis membra frigent quod diabete languentibus non accidit.

§. 11. Tenuis illa & ſubcærulea aut verſicolor pellicula quæ urinæ ſcorbuticorum aut cachecticorum, olei aut pinguedinis inſtar, quandoque innatat, ſalis particulis conſtat ad eundem modum congregatis quo in lixiviorum, ad cryſtallos formandos frigido in loco ſepoſitorum, ſuperficie non diſſimilis membranula contexitur.

Sunt quos non parùm terret urina turbida & ſedimentum præbens interciſum laterumque ramentis ſimile. Qualis etſi ſanguinem particulis ſalis craſſis, crudâque materiâ repletum oſtendat: cùm tamen eadem extra corpus protrudi ſimul manifeſtè monſtret; perplacere debet (talia enim excerni quàm intùs coäcervari ſatius eſt); & urinæ limpidæ profluvium ſecuta, morborum alioquin inde naſciturorum metu ægrum liberat. Præterea Sanctorius monuit & experien-

tia confirmat, pleriſque omnibus viris menſtruo ferè intervallo hujuſmodi urinæ profluvium accidere ad inſtar menſtruæ mulierum evacuationis ſanguineæ.

Qui flammei coloris, craſſam & turbidiſſimam urinam parvâ quantitate meiunt, iis ſanguis potûs ſpirituoſi aut carnis ſale juſto copioſiore accenſus æſtuat. Quare illis à carnium eſu illicò temperandum eſt vinumque aquâ non modicè diluendum: niſi ardenti acuto aut ancipiti & periculoſo è diuturnorum genere morbo ſe corripi pro nihilo habeant.

Peſſimæ omnium ſignificationis eſt urina ferruginea aut ſubnigra, exiguæ quantitatis nihil ſedimenti dimittens. Hæc in morbis acutis ſummam cruditatem, inflammationem maximam & gangrenæ periculo non vacantem, & labantem onerique ſuccumbentem naturam oſtendit. Nullo autem conſpicuo aut evidenti morbo detentorum vires coctrices languidiſſimas eſſe, crudiſſimâ materiâ omnia repleri, partes ſanguinem componentes indivulſo nexu cohærere, torpeſcere denique animales quaſcunque functiones. Quò cum perventum eſt, forti fidelique Medici operâ omnino opus eſt: neque tum ægrotus, ſi ſapiat, ſibi ſoli fidat, præcipuè ſi diutino luxui & intemperantiæ prægreſſæ hæc debeantur mala.

De urinâ fuscâ, sanguineâ, lacteâ, purulentâ, pelliculas, ramenta, membranulas, sabulumve vehente nihil hîc dicendum puto. Talem esse nephriticorum & calculo laborantium urinam omnes norunt, quod sabulum ipsum, derasa vasis ramenta, diruptis calculo canalibus erumpens sanguis, pusque ulcere effluens satis ostendunt.

§. 12. Accidit etiam quibusdam fibrarum flacciditate infirmis evacuatio quædam & per alvum & per urinam à vulgaribus medicinæ scriptoribus minùs observata, non modicà tamen formidine ægrorum animos implens. Albam, dico, pellucentem & viscidam materiam, gelatinæ æmulam, cum fœcibus usquè ejectam, nunc majore nunc minore quantitate; & album, lacteum, lentum urinæ sedimentum cremori aut puri perfectè cocto non absimile. Falli mihi videntur qui intestinorum aut renum ulceri hæc imputant, quod suspicati animo dejecti parùm abest ut in morbum quem horrent ipso ejus horrore incidant. Certò tamen constat neutrobique ulceri aut puri locum esse. Dolor acutus & vehemens, cum ardore & diversi coloris pure ulcus manifestè produnt. Horum tamen nullum hîc invenias, aut si quem dolorem, minimè tamen insignem, nullos ardores hecticos internorum ulcerum perpetuos comites, nullum

admiſtum ſanguinem ſaniemve, aut fœtorem putredinis indicem. Præterea, hæc frigidis accidunt, paralyticis, quibuſque laxitate fibrarum arteria debilite pulſat, omneſque animales functiones languent, hominibus ſcilicet inflammationi minimè obnoxiis. Ex quibus patet ulceri hæc mala non deberi.

Quod per alvum excernitur aut chyli portio eſt, infarctu aliquot lacteorum, ingreſſu in ſanguinis canales prohibita, aut mucus inteſtinis lubricandis deſtinatus ſive nimiâ quantitate ſecretus ſive glandularum illud ſeparantium obſtructione collectus & per intervalla, ubi copia ejus increverit, viam ſibi aperiens. Quorum utrumvis, humoris parte longiore morâ & inteſtinorum calore abſumptâ, denſatur, tandemque vermiculari eorundem motu cum fœcibus exprimitur. Ad eundem ferè modum quo intemperantiùs viventibus (quibus viſcidorum præcipuè humorum ſecretio augetur) glandularum circa os, fauces & laryngem ſitarum liquores frigore concreſcentes hærent primò, deinde viſcidi lentique excreantur.

Lactea pariter materia quam dixi in urinâ colligi, non aliud eſt quàm mucus urinæ canalibus & receptaculo lubricandis factus,

nimiâ propter glandularum laxitatem copiâ excretus.

Neque aliter utrique huic malo quàm aliis quibusvis fibrarum laxarum morbis medendum eſt, accuratâ nempe victûs ratione & medicamentis aſtringentibus & corroborantibus.

§. 13. Tertio modo corpus evacuatur inſenſibili halitu perſpirante. Hujus quantitati accuratiùs ponderandæ aptatam Sanctorius penſilem ſellam excogitavit; ingenioſum quidem inventum & Medicis apprimè utile, cujus ſcilicet ope hujus evacuationis naturam omniaque accidentia minutiùs inveſtigent ægrorumque commodo addiſcant; uſui tamen quotidiano quorumvis hominum minùs aptum, quippe quod non ſine laborioſâ moleſtiâ majorique animi attentione & temporis diſpendio quàm occupatioribus liceat aut cuiquam ferè libeat, poſſit adhiberi. Majoris interim ad ſanitatem momenti eſt libera & plena materiæ perſpirabilis quàm fœcum ſimul & urinæ evacuatio; cùm illa hanc utramque in calidioribus regionibus quantitate longè ſuperet, in frigidioribus æquet aut minimùm ſuperetur, ejuſque obſtructio multorum acutorum & diuturnorum morborum causâ, & diuturnorum ferè omnium perpetuus comes ſit.

§. 14. Doctiſſimus Medicus & diligens

rerum naturalium obſervator Jacobus Keilius in Medicinâ ſuâ Staticâ Britannicâ irrefragabilibus argumentis oſtendit frigus ſuſceptum non aliud eſſe quàm humidum nitroſumque aërem magnâ copiâ per tranſpirationis meatulos intra corpus admiſſum, qui ſanguinem ſpiſſando (quod ſanguinis poſt ſuſceptum frigus miſſio oſtendit) indeque non perſpirabilis tantùm materiæ ſed & liquidiorum quorumcunque humorum ſecretionem impediendo, brevi toto corpore turbas febriculamque excitat &, niſi principio obſtes, phthiſeos, inſigniorum viſcerum obſtructionis, cachexiæque fundamenta ponit.

Infirmioribus igitur & valetudinariis diligenter curandum eſt ne frigus ſuſcipiant; quòd ſi quo infortunio hoc malum occupaverit; ut, priùs quàm altiores egerit radices, extirpetur allaborandum. Et morbo quidem cognito remedium facilè deprehenditur, quod hujuſmodi eſt. Æger cubitum iturus compoſiti pulveris è chelis cancrorum ſcrupulo ſuperbibat liquoris cujuſvis tenuis calentis (qualem profluente urinâ limpidâ commendavimus) hauſtus aliquot, admiſtis cuique ſpiritûs cornu cervini decem guttis, perſpirationis inſtaurandæ causâ. Mane, ſi opus ſit, eadem repetat, lectoque ſe contineat uſquedùm onere ſe leva-

tum ſentiat. Caveat tamen ne, laxatis jam ſudatione fibris, frigidi aëris acceſſu malum recrudeſcat. Quare, non niſi veſtibus ſolito denſioribus munitus, eum ingrediatur. Deinde per biduum triduumve tenuiore victu utatur (cereâlibus, ſorbitionibus, pulli carne) potuque tepente. Verbo, ſuſcepto frigore non aliter quàm invadente febriculâ corpus curandum eſt. Quàm viam inſiſtentibus raró tuſſis aut ſputum ſupervenit. Si tamen ſupervenerit, gummi ammoniaci ſemunciâ, duabus aquæ hordei libris ſolutâ, aut Sacchari cryſtallini pauxillo olei amygdalarum dulcium ſoluto, multò faciliùs, tutiùs & efficaciùs ejiciuntur aſperæ arteriæ hærentia, quàm balſamis, linctibus ſimilibuſque vulgò uſitatis; quæ ventriculo moleſta ſunt, & concoctionem impediendo graviora arceſſunt mala quàm quibus profligandis adhibentur.

§. 15. Nulla certiùs ratione perſpirabilis materiæ evacuatio tanta taliſque conſervatur qualem bona valetudo poſtulat quàm temperanti victu (quo ſcilicet tantum, neque amplius, nutrimenti in ventriculum detruditur quàm cui ad debitam fluiditatem redigendo ille ſufficit, quantumque corpori reparando ſatis eſt) moderatâ exercitatione, frigidarii ſtrigiliſque commodo uſu; de quibus omnibus jam ſupra dictum eſt.

Obstructum nec liberè fluentem perspirabilem halitum ostendunt tendinum subsultus, jactatio corporis per lectum, volutatio de latere in latus, irrequies denique omnis & membrorum inde orta gravitas, torpor & lassitudo matutina, oscitatio, pandiculatio, ructus crudus aut multus, tormina, dolores colici, animique dejectio. Hæc enim, sive intemperanti victui, sive frigori suscepto, animi mærori originem suam debeant, perspirationem continuò impediunt. Quibus itaque quantocyùs obviam eundum est leni primò alvi subductione, deinde victu parciore & corporis agitatione solitâ majore.

Flatuum magnam partem obstructæ perspirationi deberi Sanctorius liquidò ostendit. Oscitatio & pandiculatio musculorum convulsiones sunt perspirabilis halitûs obstructi irritatione excitatæ, quibus ille excutitur; ut omne quidem convulsionis genus provido & sapienti naturæ instituto, noxiis quâ vaporibus, quâ humoribus, quibusvis denique molestis è corpore propellendis accommodatum est. Tussis enim, diaphragmatis & musculorum intercostalium, aliorumque respirationi inservientium reciprocis convulsionibus pituitam viscidam, aut mordicantem, aut quidvis laryngi, aut asperæ arteriæ molestum, rejicit.

Vomitus irritatis & convulsis abdominis musculis & diaphragmate ventriculo molesta, aliquando & renibus graves calculos, expellit. Puerperæ eorundem musculorum, & matricis fortè ipsius, convulsionibus fœtum excludunt. Sternutatione & nasi glandulæ exonerantur & omnes superiores corporis partes quassatæ, hærentia fibris suis noxia quæcunque faciliùs excutiunt. Horrores ingruente frigore aut morbo oborti perspirationi impeditæ succurrunt. Risus, saluberrimum profectò exercitationis genus, totum corporis truncum concutiens, quibuscunque moleculis seu fibrillæ onerantur, seu canaliculi obturantur, eas tremulâ vibratione projicit. Contorsiones denique & contractiones cùm infantum tùm adultorum, præcipuè epilepticorum, hypochondriacorum & hystericarum, ad quæ significanda generale convulsionis nomen vulgaris usus restrixit; quid aliud esse putes quam spasmos violentiores & quasi laboriosam luctam omnium quotquot sunt corporis musculorum acrium halituum & vaporum è quâcunque cavitate & interstitio expulsionem summo nisu omnique ope molientium?

§. 16. Præter jam dictas omnibus communes, accidit etiam quibusdam summa fibrarum laxitate laborantibus privata quædam evacuatio humoris cujusdam tenuis, ex oris,

faucium, œſophagi & ipſis etiam ventriculi glandulis per os ſe reddentis; quam noſtratium aliqui ſputationem nervinam aut ſcorbuticam vocare ſolent. Hæc quantitate ſuâ nonnunquam ſalivationem mercurio excitatam æmulatur, infirmiſque nonnullis tabis metum incutit, cùm tamen nihil minùs indicet. Cujus rei ut cauſam inquiramus, recolendum eſt, quibuſdam paralyſi altiùs tactis, præſertim ætate provectioribus, ſalivam ex ore per mentem pectuſque defluere, & tantâ quidem copiâ ut ne loqui quidem iis liberum ſit niſi inanito priùs ore abſtersâque linteolo ſalivâ. Adeòque aliquibus penitùs fractis, hujuſmodi humor ſcatet ut leviſſimâ quâcunque de causâ ſive gaudium ſive mærorem excitante per oculos etiam fluat lachrymarum ſpecie, quas ſuſpiria, ſingultuſque, lachrymarum perpetui ferè comites & aſſuetudine iiſdem conjuncti, ſequuntur. Fatuorum præterea & mentis inopum quoddam genus, quibus à * ſputi profluvio apud noſtrates nomen eſt, & hypochondriacorum iis quos ſumma morbi vis pervicaci moroſitate aut ſtupore urget, plerique denique fibrarum inſigni laxitate laborantes, hujuſmodi profluvio plùs minùs obnoxii degunt, præcipuè poſtquam gulæ (quod non raró fit) aliquantiſ-

* Drivellers.

per indulserint. Laxatis igitur resolutisque fibris manifestum est salivarium hoc profluvium oriri. Jam antè ostendi nimium aut difficilè concoquendum nutrimentum, fibrarum remissione imbecillis in chylum lentum, viscidum, crassum verti, cujus partes crassissimas lacteorum osculis majores in cavitate intestinorum putrescentes & fermentatas flatus, tormina, colique intemperiem gignere, tandemque acore suo adinstar medicamenti cathartici vellicante viam sibi per anum aperire. Nunc animadvertendum est, eam chyli portionem viscidam quæ lactea primùm (viscidior autem infirmorum quàm robustiorum lactea ingreditur vasa, propter constrictiora his quàm illis eorundem oscula) & deinceps sanguinis canales subintrat, cùm tamen illi penitiùs misceri nequeat aut eo usque comminui ut per minimas arteriolas & perspirabilis materiæ meatulos exilissimos commodè transire possit, necessariò cogi in laxiores aditus glandularum lentioribus humoribus à sanguine secernendis assignatarum. Tales autem imprimis sunt salivariæ fauciumque glandulæ prædicti profluvii scaturigines.

Revera, quod ratio expectandum suadet observatio manifestò ostendit, infirmis scilicet continuato per aliquod tempus intemperante victu universas corporis glandulas

minoraque vaſcula intumeſcere & obſtrui; quibus nervos vicinos & alios canaliculos adjacentes prementibus (quâ preſſione & fibrarum vibrans vegetuſque motus ſiſtitur & fluidorum circuitus impeditur) inertiam, ſtuporem reliquaque quotquot ſunt ſua mala debent. Omnium autem maximè tument laxiores & patentiores, ideòque faciliùs cedentes, glandulæ humores viſcidos ſecernentes. Quâ de causâ ut Baglivius os linguamque in acutis accuratè inſpicienda eſſe, quò ſtomachi, inteſtinorum, viſcerumque conditio innoteſcat, ego in diuturnis morbis non ipſos tantùm oculos, ſed & carunculas lachrymales oculis adjacentes diligenter obſervandas eſſe moneo. Nam non ſolum oculorum languor & retuſa acies peſſimi ominis ſunt, ſed & lachrymalis caruncula in majore oculi cantho ſita ſi tumeat ſolitoque durior majorque videatur, fibrarum laxitatem functionumque naturalium debilitatem incauto victui debitam arguit. Quod mihi experientiâ compertiſſimum eſt, cuicunque tandem cauſæ ejus carunculæ tumor debeatur, ſive glandulæ veræ lachrymali reliquiſque orbitam oculi obſidentibus tenaciore & copioſiore humore infarctis, eòque oculum ipſum vicinamque carunculam extrorsùm trudentibus, ſive privatis ipſius carunculæ minutiſſimis, ſed accura-
tam

tam oculatiſſimi Morgagni indaginem non fugientibus glandulis, pariter affectis eademque efficientibus. Iſtiuſmodi corporum vicinorum in opticum nervum præcipuè, deinde & in alias oculi partes preſſuræ referenda eſt hypochondriacis & hyſtericis familiaris confuſio, obſcuritas & hebetudo visûs, oculiſque oberrantes atomi, muſcæ, maculæ. Hæc niſi oculi privatim ex evidente aliquâ causâ ſingulari patiantur; lachrymali carunculâ intumeſcente aut protrusâ glandulas quaſvis per corporis ſuperiora diſperſas itidem humoribus ex intemperanti victu viſcidis infarctas tumere, tutò concluditur. Ex iis ſalivariæ oris, faucium & œſophagi diſtentæ, vicinos nervos comprimendo varièque afficiendo, nunc ſuffocationis aut ſtrangulationis moleſto ſenſu torquent, nunc inani deglutitionis actione ludunt, frequentibuſque querelis occaſionem præbent. Crudi præterea humores flatuſque ventriculum, inteſtina, totumque abdominis cavum diſtendentes, diaphragmatis obſiſtendo contractioni reſpirationem impediunt; unde, conturbatis omnibus thoracis partibus præcipuèque nervis irritatis, conſpirante etiam œſophagi anguſtiâ & contractione, neque aëri ingreſſus neque flatibus exitus conceditur; eòque jam dictis aliiſque mille malis miſer torquetur, quorum

dilucidæ expositioni hoc loci immorari non convenit. De viâ enim diverti ut monerem quantas & quàm funestas turbas excitare possunt minora corporis vascula, imprimis vero glandulæ, humoribus viscidis distenta.

Nunc ad eorundem evacuationem revertamur, naturalem nempe salivationem, quæ profectò (ut & tenacioris pituitæ screatus, tussis nervosæ nomine notus, & tussis puerorum convulsiva) non aliud est quàm naturæ fibrarum onera excutere molientis conatus, & criticus quidem, si prudenter tractetur, futurus, nec præsentem solùm paroxysmum soluturus, sed & liberum sanguinis circuitum & perspirabilis halitûs effluxum, ablatis eorundem obicibus, instauraturus, accedente insuper, perpetuo sanitatis comite, animi alacritate.

Ineptissime quidam spiritibus ardentibus & cardiacis hunc fluxum sistere animumque dejectum erigere satagunt. Isti, occlusis ad tempus glandularum emissariis, evacuationem quidem sistunt, sed criticam, quæ sisti non debuit, inclusamque materiam magis condensant & includentes canales ulteriùs distendunt; unde & incommoda crescunt & periculum.

Alii generoso nutrimento liberiùs se ingurgitant, sanatumque credunt morbum

cùm recentis ſpirituoſi chyli ſuavi fotu refecti tantiſper vigent valentque ; neque ſentiunt ſe morbo novum fomitem ſuppeditâſſe, & quod jam pro medicamento habent mox ſe venenum experturos.

Importune hic omnis medela adhibetur. naturæ enim res permittenda eſt ; nec evacuatio hæc critica aut promovenda aut retardanda eſt. Corpus tantummodò interim ſuſtinendum eſt cibo leviore, facilè concoquendo, potuque non ſpirituoſo & ardente, ſed tenui, utroque parcè eâque quantitate adhibito cui pares ſint languidiores jam ventriculi vires. Sic demùm purgatis humoribus crudâque ſui parte per opportunas glandulas emunctis, liberatiſque preſſu canalibus, quò per eoſdem idonei liquores inoffenſi fluant, flatibuſque antea interclUſus nunc pateſcat exitus, ſalivatio ſenſim imminuta poſtremò ſponte deſinet. Eâ demùm jamjam deſiturâ (nec antè) commodum erit leni vomitorio lentas pituitæ reliquias ventriculo everrere flatuſque interſtitiis fibrarum incluſos exprimere ; mitique poſtea & ſtomacho grato purgatorio medicamento inteſtina & abſtergere & roborare. His ritè adminiſtratis æger & dolore & onere levabitur, ſanguini per ſuos canales circuitus & perſpirabili materiæ exitus patebit, & expedito jam cerebro, cum fibra-

rum tensione corpori sanitas animoque alacritas redibit.

Non tamen dissimulandum puto, ut natura exhausta & debilitata, vehementis gravisque morbi sive acuti sive longi crisi non raro succumbit, hujusmodi sputationem aliquoties non nisi ægri morte fuisse finitam; quod hydropicis & diabete inveterato laborantibus pariter nonnunquam accidit, ita nempe penitùs dissolutâ sanguinis crasi, rubra ejusdem portione in merum gluten coactâ & serosâ in acre lixivium degenerante, ut scorbutica hæc ejus dispositio nullis medicamentis sanabilis sit, nullâque arte dissociatorum unio redintegrari possit.

CAPUT VI.

De Animi Affectibus, sive Passionibus.

§. 1. INstituto ab initio ordine nunc ad passionum doctrinam tradendam deducor, non integram tamen & totam, sed decerptas * hinc inde aliquod ejus portiones, quæ scilicet utiliores sint ad commo-

* His similia plurima vide in nostris *Princip. Philosoph. Relig. Revelat.*

ſtrandum, quantum animi affectus in immutandâ variè corporis valetudine vitâque aut producendâ aut abbreviandâ poſſint. Longè autem majora hâc in re poſſunt quàm hominum vulgus videat. Quæ autem de iis tradenda habeo ut clariùs intelligantur, primò veritates aliquot adducam quibus, tanquam fundamentis, ea ſuperſtruentur.

§. 2. Ut corporum motus eorumque in ſe invicem actiones Deum naturæ conditorem legibus certis, naturæ vulgò dictis, definiviſſe apud omnes in confeſſo eſt: utque eundem analogas ſpiritibus leges ſtatuiſſe vix dubitari poteſt: Sic Spirituum corporumque commercia, actioneſque & paſſiones mutuæ à determinatis etiam legibus à Deo primum inſtitutis totæ certè pendent; harumque obſervatione conſtat animæ corporiſque commercium & arctus ille nexus quo, altero affecto, alterum ſimul afficitur. Hæ autem quæ qualeſque ſint ſolâ particularium actionum eventuumque, ſive phœnomenῶn, obſervatione dignoſcitur: uti variis inſtitutis circa res ſingulares experimentis, generales motus leges corporibus datæ, deprehenſæ ſunt. Id certè conſtat, quemcunque corporis nervum ſi ferias, congruentem ejus motui ſenſum in animâ ſimul excitari: & pleraſque ſi non

omnes, animæ cogitationes, sed procul dubio omnes ejus passiones subsequi correspondentem corporeæ alicujus partis motum. His intervenientibus corporis sui motibus variis, anima humana cum omnibus rebus externis, sive ea corpora mundana sive alii spiritus sint, commercia habet: quemadmodum inter urbis obsessæ Præfectum & exercitûs obsidionem soluturi Ducem quovis signo, de quo modò inter eos convenerit, quid alter ab altero fieri cupiat satis ostenditur; utque cryptographi, ope abaci privatas eorum elementares notulas exhibentis, epistolas invicem missas, aliàs inexplicabiles clarè intelligunt.

§. 3. Hoc autem corporis animæque commercium nervorum præcipuè ministerio exercetur. Cerebro enim, nervorum origini unde illi, ut à radice ramuli, ad exteriores omnes corporis partes disperguntur anima assidet; quasi citharædum grandiori cuidam organo musico ritè modulato inclusum concipias, clavicularum duplici serie instructo, internâ alterâ, alterâ externâ, quarum ope ille inclusus, aliique circumstantes, alternis psallerent, modulosque concinentes responderent. Manifestum est, claviculis illis internis respondere internas nervorum extremitates, quibus tactis anima motum corpori impertit; externis externos eo-

rundem fines, quibus titillatis corpus motuum sive intra se ortorum sive extrinsecùs impressorum sensum ad animam transmittit. In omni itaque passione duo quasi gradus considerandi veniunt: primus, cùm anima ab objectis externis afficitur; secundus, cùm hic affectus in corpus repercutitur illudque afficit. Et hic corporeus affectus ex animi affectu resultans quis qualisque sit quibusque modis valetudinem immutet, nobis præcipuè quærendum est.

§. 4. Cum autem corpus animatum organo musico contulimus, non tam similitudine rem illustrâsse quàm ipsam rei naturam quadantenùs declarâsse videri debemus. Mirabilem illam nervorum à cerebro & spinali medullâ hinc inde multis quasi portis exeuntium contextionem aspice, per omnia corporis viscera & artus continuam, & mirè variatas earundem inter se combinationes. Plures vide nervos è diversissimis locis ortos in unum truncum connexos; hunc autem truncum in plures iterum ramos divisum, quorum quisque non ab uno aliquo radicalium derivatus est sed ex aliquot singulorum fibrillis collectus; ita ut ad omnem corporis partem, si non ex omni cerebri medullæque spinalis parte, ex pluribus saltem eorum locis nervi concurrant, animæ imperia eò deferentes, & de rebus externis

ipſiuſque corporis ſtatu nuncium ad eandem referentes. Hæc, inquam, attentus intuere; & fatebere, concuſſo uno aliquo nervo facilè etiam cognatione & loco proximos ſimul concuti; imò motum aliqualem & quaſi evaneſcentem aduſque extrema ſyſtematis nervorum univerſi confinia propagari poſſe; aut potiùs hæc non poſſe non evenire.

Sunt autem corporis nervi ad muſicos quoſdam tonos, in variis quidem corporibus varios, ita contenſi & modulati, ut ad conſonos fidium aut tibiarum tonos toti contremant atque oſcillent. Pro fibrarum verò oſcillatione vividâ aut languente viget languetve animalis vita, ipſumque animal gaudet mæretve.

Hæc conſideranti nequaquam intellectu difficile erit mœſtorum animos muſicis modulis erigi, imo hærentes extremis corporis vaſculis lentos humores pernicibus fibrillarum vibrantium quaſi talitris commolitos contritoſque ad priſtinam ſuam fluiditatem redigi, indèque expulſos aliis à tergo urgentibus humoribus locum cedere, neque ultra libero ſanguinis circuitui obſtare. Canoris autem fidibus aut frequentiùs repetitis earundem pulſibus ſi juſto vehementiores excitentur nervorum fibrillarumque corporis vibrationes, quod ſine earundem ali-

quali divulsione fieri nequit; effusiore primùm gaudio, mox musicæ tædio & tantillâ lassitudine sive ignaviâ ad tristitiam vergente corripimur. Neque desunt citharædis sui moduli quibus vividè oscillantes corporis fibras languidiore vibratione imbuant & quasi contagio inficiant; nec, quibus earundem celerrimas acerrimasque derepente concitent vibrationes, iræque simul & furoris horrendos motus.

Tantum autem posse chordarum musicarum tremores in excitandis similibus homotonorum nervorum fibrarumque animalium vibrationibus ille saltem non mirabitur cui notum est amplissimum quemvis firmissimèque constructum fornicem ad respondentis tono suo musicæ chordulæ pulsum, aut etiam vocis humanæ cantum, totum quantus est contremere &, si fortiùs urgeas, reboare, simulque impositam molem vel vastissimam ad summa usque culmina concutere. Neque ignobile virium soni harmonici argumentum est, vocis humanæ modulato cantui accinere vicina omnia sonora corpora; eâdemque tonum aliquem fortiùs proferente vitreum ejusdem toni calicem retinnire, & si instes longiùsque canoram vocem protrahas, dissilire. Nunc unde divertimus eò redeamus.

§. 5. Corpora quidem nihil agunt, &

quæ agere videntur actionem tantùm aliunde communicatam per ſe tranſmittunt aliòque transferunt. Spiritibus, è contrà, ineſt facultas activa, movens, ſuique potens quâ ſe dirigunt, ſuaſque actiones, pro variis intra ſe ortis cogitationibus rerumque externarum circumſtantiis, determinant definiuntque. Quod verum eſſe ex ipſo corporum motu evincitur: quem nec ab ipſis corporibus oriri, & quotidie tamen de novo produci, tàm evidens eſt quàm quod evidentiſſimum. Unde autem novum recentemque motum niſi à ſpiritibus deduces? Sed hoc omnibus vel mediocriter doctis in confeſſo eſt; nec qui veræ Philoſophiæ vel prima elementa aſpexit, id negat. Si cui tamen pulcherrimâ & ſolidiſſimâ de hâc animi facultate ejuſque proprietate, quæ libertas eſt, doctrinâ ſe erudire placeat, ille clariſſimi noſtri Clarkii, acerrimo judicio viri, gravia ſimul & ſubtilia ſcripta perlegat, *Commercium* nempe *epiſtolicum* cum celeberrimo Leibnitio, & *Animadverſiones in diſquiſitionem quandam de libertate humanâ* eidem tractatui cum aliquot ejuſdem argumenti epiſtolis reſponſoriis ſubnexas.

§. 6. Præterea, ut corporibus ineſt gravitas ſive attractionis vis, quâ in mutuos amplexus feruntur, & minora quæque majus aliquod ambientia verſus ejus centrum

tendunt: ita ſpiritibus inditum eſt principium quoddam huic analogum quo, impedimentis remotis, illi ſe mutuò appeterent & complecterentur, omneſque ad conditorem ſuum (eorum centrum, fontem & originem & quaſi petram ex quâ exciſi ſunt) non ſegniùs tenderent quàm planetæ ad ſolem omnes & quiſque ad quemque gravitat. Eſtque hoc ſpiritualis mundi, ut illud materialis, firmiſſimum ligamentum; ſacris Scriptoribus charitatis vinculum appellatum. Tale certè intimæ ſpirituum naturæ & imis quaſi medullis hærere principium, manifeſtum eſt, ſi quid veri in ſe habeat analogica à corporum ad ſpirituum naturam ratiocinatio. Eſt autem analogia, ſi verum fateri volumus, unicum veræ ſcientiæ fundamentum; nobis ſaltem, quibus pauci tantùm totius catenæ annuli, aut disjectæ aliquot univerſi ſyſtematis mundani particulæ, ſub conſpectum cadunt, quibuſque propterea ex viſorum indole inviſibilium natura colligenda eſt. Neque putandum eſt beneficentiſſimum rerum Conditorem, qui non alio certè animo ſubſtantias intellectu præditas creavit quàm ut ſummâ quam capere poſſent felicitate bearet, eas tamen nudas & indefenſas tot undique circumſtantium rerum creatarum blanditiis eaſdem à ſeipſo allicientibus expoſuiſſe, non addito interim earum naturæ

momento quodam quo verſus eum ipſum vergerent & vi omnem vim externam ſuperante inclinarentur; cùm ille iis omnis felicitatis veræ unicus fons & origo ſit. Imò ne nobis quidem, etſi à recto naturæ tramite devii erraverimus, &, quemadmodum magnete tactum ferramentum alieno ſitu diutiùs detentum mundi cardines ægrè jam invalidèque requirit, ſic nobis primæva virtus magnam, ah! partem elanguerit atque obruta ſit; ne nobis, inquam, ſic mutatis omnes hujus propenſionis reliquiæ perierunt. Quid conſcii animi ſtimuli, immortalis vitæ flagrans deſiderium, totalis abolitionis horror, honoris & famæ apud poſteros ardor immanis? Quid cultus ab omnibus hominibus, quibus modò humanitatis aliquid ſupereſt, numini cuidam, ſæpè quidem vano fictoque ſed tamen numini redditus? Quid hæc ſunt, niſi hærentia humanis animis veſtigia naturalis illius ad Deum præponderationis, & indivulſæ cum illo conjunctionis æternæque in illo requiei anhelans cupido? Quid illa omnibus obſervata humanitas ſivè philanthropia? quid illa reverentia quâ eximios proboſque viros, etiam fictos Poëtarum heroas, proſequimur? Quid, inquam, illa ſunt, niſi primitùs intertextæ animorum noſtrorum fabricæ charitatis quâ congeneres animas, præcipuè

eximiâ virtute nobiles amplectimur, reliquiæ? Et hæ quidem tale inesse nobis quale descripsimus principium ex effectis ostendunt; ut analogica ab aliarum rerum naturâ ratiocinatio, & naturæ divinæ ejusque proprietatum consideratio idem ex causis monstrant. Qui sacris Scriptoribus, de Deo ex ejusdem institutione docentibus, fidem adhibent, iis de hoc principio ne vel minimum dubium hærebit. * Mosen illi audient de lege cordibus nostris insculpto, & D. Paulum de hâc charitate universali tanquam de † supremo perfectionis humanæ culmine, loquentem.

§. 7. Ex dictis (ut rem scitu dignissimam obiter moneamus) elucet summæ spirituum felicitatis summæque miseriæ natura. Nam si spirituum naturæ insita sit, infinitam quasi vim habens, propensio & momentum quo illi ad divinam suam originem tendunt eique divinæ substantiæ loco (si tàm audaci figurâ uti concedatur) unde formati sunt denuò inseri anxiè efflagitant atque ardent; igitur, indivulsâ tandem unione illi coalescere, illis supremus felicitatis apex: ad hanc unionem aliquousque provehi, aliquis etiam felicitatis gradus est. Eâ ad extremum, sine reunionis spe, divelli, in infimum miseriæ barathrum detrudi; ab eâ

* Deut. XXX. 14. † 1. Cor. XIII. ult.

longiùs recedere, miſeriæ appropinquare eſt.

Hujus autem coalitionis & divulſionis inſtrumenta ſunt, ea bonitas & malitia quæ morales dicuntur, morum nempe integritas & nequitia.

§. 8. Jam ſupra traditam doctrinam ad vitæ humanæ uſum traducamus; & quâ potiſſimùm ratione imminentia nobis ab infrœnatis animi affectibus & violentis perturbationibus, non ſanæ tantùm longæque ſed & jucundæ, ſuavis, beatæque vitæ (quæ illa longè amabilior eſt) reſpectu, pericula devitentur, doceamus. Quod ut dilucidiùs fiat primò ex prædictis, aliquot magè principales animi affectuum diviſiones, quæque mox dicendis, ut intelligantur, viam muniant, ſunt deducendæ.

Et primò, ſiquidem homo ex duobus principiis naturâ diverſiſſimis conflatus eſt, animâ ſcilicet & corpore; & quæ hæc duo afficiunt res externæ duûm item generum ſunt, ſpiritus nempe & materia: duplici igitur reſpectu paſſiones in ſpirituales & animales poſſunt dividi. Eſſe autem ſive in rerum naturâ exiſtere, paſſiones purè ſpirituales, quibus ſpiritus à ſpiritibus afficiuntur, nemo negabit qui & ſpiritus eſſe & in ſe invicem abſque corporeorum organorum interventu & Miniſterio agere poſſe non

negaverit. Hujus forte ſpeciei erat D. Pauli extaſis in tertium cœlum rapti, ipſo, an corporis interventu an ſecùs miranda illa cœleſtia cerneret, neſciente; hujuſmodi, Môſis cum Deo commercium, quem coram vidiſſe dicitur. Talis etiam gratiæ divinæ in hominum animos influxus. Imò aliter animam aliter corpus ſimul affici poſſe, & hoc dolente & laborante (i. e. ea patiente quæ cum patitur, communi naturæ ordine, animus dolet) illam leni tranquillitate frui aut etiam gaudio perfundi (proindeque non omnia animi ſenſa à corpore pendere, ſive ſpiritum à re ſpirituali aut non corporeâ affici poſſe) non tantùm quibus Chriſtianæ Religionis dogmata placent, agnoſcunt; ſed & ipſi Stoicæ Philoſophiæ cultores magno conſenſu affirmant, hocque fundamentum magnæ parti Philoſophiæ ſuæ ſubſternunt. E contrà, rerum minimè ſpiritualium paſſiones eſſe concedent quicunque bruta aliud quàm mera automata exiſtimant. Mixtas dari paſſiones ex corporum & ſpirituum commercio ortas ipſe homo ſatis evincit ex animâ & corpore compoſitus, cujus nunc animam corpus, nunc corpus anima afficit. Sunt igitur paſſiones cùm ſpirituales tùm animales. Spiritualem paſſionem voco omnem ſenſum in animâ ab objectis externis, ſive materiali-

bus corporeorum organorum interventu; ſive ſpiritualibus nullo interveniente excitatum. Animalem autem, omnem effectum in corpore editum, ſive à ſpiritibus ſive à corporibus tanquam cauſis proximis & immediatis. In hâc tamen diviſione, paſſionis nomen latiùs patet quàm cùm ſolis animi affectibus ſignificandis adhibetur; hos tamen, etiam hoc ſignificatu, ſub ſe complectitur.

Secundo, cùm quævis objecta externa aut boni aut mali ſpeciem noſtri reſpectu induere poſſint; objectorum ratione paſſiones, cum ſpirituales tùm animales rectè dividuntur in delectabiles & dolorificas: ad quarum claſſium alterutram omnis omninò paſſio refertur. Quare quotquot ſunt ad gaudium & mærorem ſive triſtitiam reduci poſſunt, tanquam ad ſumma genera ſub quæ ſpes & timor, amor & odium reliquæque ex his compoſitæ, ratione ſaltem effectuum quos animi paſſiones in corpore edunt, facilè rediguntur; quippe minutias non excutio. Neque enim accuratum de paſſionum naturâ tractatum conſcribo; ſed generalia quædam de iis theoremata tanquam fundamenta pono poſtea dicendorum de affectuum animi momento ad valetudinem corporis immutandam.

Tertio denique paſſiones ratione vehe-

mentiæ ſuæ citò tranſeuntis, aut tardæ ſed continuatæ actionis, diverſorumque hinc natorum in corpore effectuum & perturbationum, in acutas & longas ſeu chronicas dividuntur non minùs commodè quàm ipſi morbi, nec diſpari de causâ.

§. 9. Omnes animi affectus delectabiles ad gaudium, omnes dolorificas ad mærorem jamjam reduximus. Et verò quævis paſſio, utcunque compoſita, gaudii præcipuè aut mæroris quem adfert momento corpus afficit. His igitur eorumque in corpus effectibus enarratis omnium paſſionum vires præcipuæ ad valetudinem immutandam exponi videntur.

Ex ſupra dictis ſatis patet nervorum interventu omne animæ corporiſque commercium exerceri. Illi autem ut, integrâ ſanitate, liberè, motuque eorundem tenſioni non aliter quàm in inſtrumenti muſici fidibus fieri obſervamus) congruo, & proinde harmonico ex ipſius rei naturâ dicendo, vibrant contremuntque, eoque ipſo motu indolentiæ ſaltem aut tranquillitatis (ſive alacritatem potiùs appellare libet illam ad gaudium propenſionem quæ ex integrâ bonâque valetudine naſcitur) ſenſum animæ imprimunt: & gratâ titillatione ſuaviter nec immodicè ſtimulati, gaudii etiam; at ipsâ hâc titillatione creſcente, in vibratio-

nes coactæ celeriùs reciprocantes quàm eorum tensio aut musicus tonus ferat, doloris molestum creant sensum. Ut, inquam, hæc à corpore & nervorum motu anima patitur; sic, cùm reciprocum sit commercium atque, ut inter corpora sola, ita & inter animam & corpus actioni reactio æqualis sit, anima tranquilitate & indolentiâ fruens, congruas, harmonicas & quasi musicas in nervis vibrationes excitat. Quæ cùm œconomiæ animalis functionibus ritè peragendis ab ipso naturæ authore aptissimæ constitutæ sint, iis sanitas optimè conservatur & diutissimè durat, hoc est vita longissimè protrahitur. Sed gaudio moderato tacta easdem vibrationes aliquantùm accelerat: unde fit ut animales functiones interea vegetiùs vividiùsque paragantur, nervi tamen sensim deterantur, gaudioque continuo, aut etiam brevi transeunte, si modò nimio, citiùs absumantur nervi reliquæque corporis fibræ; hoc est vita brevior reddatur, eòque brevior quò effusius impensiusque gaudium est. Anima autem mœrore & tristitiâ obruta nervos ita violenter concutit & contrahit ut iis crispatis & corrugatis omnia animalis œconomiæ munia conturbet, humores cogat, concludat, liberoque diffluxu prohibeat, sanguinis denique circuitionem retardet, nonnunquam & penitùs sistat.

§. 10. Hæc ita fieri, animamque in corpus & corpus in animam reciprocè agere, idque eâ lege ut, quicunque corporearum partium motus animam certâ quâdam passione afficit, eundem vicissim in corpore motum anima excitet cùm simili passione afficitur, undecunque tandem ea oriatur, sive cogitationi soli sive corporeo cuipiam debeatur motui: hæc, inquam, ita fieri, cùm certâ observatione constat, tùm ex universali illâ actionum tàm spiritualium quàm corporearum lege deducitur, actioni nempe æqualem semper & contrariam esse reactionem. Hinc fit ut obortum animæ ex corporeis motibus gaudium illa in corpus repercutiat retorqueatque, inde denuò in ipsam mox refluxurum, sicque reciprocis fluctibus quasi elasticâ quâdam utriusque substantiæ, & corporeæ & spiritualis, facultate excitatis, producendum & in longum protrahendum. Eadem cogita de gaudio in ipsâ animâ primitùs orto: & similia de mœroris conservatione tantò pertinaciùs durantis quantò per eum fibræ corporis tensiores & rigidiores sunt statûsque sui tenaciores.

§. 11. Omnia autem supradicta, mediante corde fieri videntur. Est enim hoc præcipuum vitalis facultatis instrumentum; concurruntque ad illud & partes vicinas quibus

præcordiorum nomen eſt, magnum nervorum undique eò tendentium agmen. Cujus rei non leve etiam argumentum habemus omnium nobis notarum gentium dialectis, hoc eſt, communi hominum ſenſu, gaudio, triſtitiæ, reliquiſque paſſionibus cor, & apud Poëtas præcordia, tanquam propriam ſedem tribui. Jam, auctis animi gaudio cordis viribus, ſanguinis omniumque quotquot ſunt humorum circuitio acceleratur. Quo fit ut ipſi fortiùs contriti ſubtiliùs attenuentur, faciliùs minimos quoſcunque canaliculos ſubeant eoſdemque pertranſeant. Hinc per intima viſcera blandus & amabilis calor, quaſi corporeum quoddam gaudium, perſentitur. Et corpus, quod mœſto ſemianime eſt, nunc penitùs animatum omnibus ſuis particulis atomiſque vivit, viget, ſentit, exultat. Membra ad primum animæ nutum aurâ leviora moventur; & fiunt quæcunque in ſano valentique homine fieri convenit.

Ex adverſo, cohibitis mœrore cordis viribus, preſſiſque & contractis ejuſdem habenis nervis, omnia rigent torpentque: & abolitâ jam elaſticâ vi validiſque reciprocis motibus concuſſibuſque inde oriri ſolitis, rigidorum vixque ſe commoveri patientium, aut ſi loco ſuo dimoveantur in eundem redire vix potentium organorum ar-

bitrio vita regenda permittitur. Hinc ſanguis validâ cordis vi quaſi explodi ſolitus, eò jam rigente vix evomitur in arteriam itidem rigentem & per breviſſima intervalla oſcillantem: quod ex frequenti, parvo, duroque ejus pulſu innoteſcit. Humores igitur, ceſſante latiùs excurrentis oſcillationis elaſticâ vi, non ſatis comminuti lenteſcunt, viſcidique facti minimis canalibus hærent; unde obſtructiones, tenuiorumque liquorum prohibita ſecretio & expulſio. Inhibitâ autem lymphæ ſecretione ariditas totius corporis & ſitis mœſtis familiaris. Iſta etiam ſitis, ut & inappetentia cibi, ceſſanti ſalivæ & humoris ventriculi ſecretioni magnam partem debetur. Obſtructâ perſpirabili materiâ fibræ onerantur, corpuſque cùm hâc de causâ tùm defectu vividæ vegetæque earundem vibrationis, grave ſentitur, & difficulter mobile torpeſcit atque ignavum fit. Eſt autem ignavia nihil aliud quàm ſenſus laſſitudinis internæ, ſive organorum vitalis functionis nervorumque ad illa pertingentium. Et laſſitudinis ſenſus omnem nimiam fibrarum contractionem ſequitur: rigentium verò fibrarum magna eſt contractio. Impedito denique humorum libero per minima vaſa circuitu, & per majora tantùm continuato, hæc duo oriuntur. Primò corpus, cujus intima penetralia atque adyta gau-

dium animaverat, jam magnâ ſui parte, per quam nempe vitalium humorum circuitus non celebratur, exanimatum languet, corporeumque quendam mœrorem mœret. Secundò, lentus viſcoſuſque ſanguis per inertem pulmonem invalidè propulſus, eidem copioſiùs quàm par erat hæret & coacervatur, eòque magis quòd ſegniùs etiam diaphragma atque intercoſtales muſculi reſpirationi inſervientes jam moventur ad eum aëris ope comminuendum & protrudendum: quippe hi muſculi nervis præcordialibus (detur commodo hîc nomini venia) excitantur; illi autem præ cæteris ceſſant. At ſic hærens ſanguis copiæ & gravitatis ſuæ ſtimulo identidem prædictos nervos muſculoſque ad vehementem inſpirationem faciendam irritat, quæ, cum expiratione ſubſequente, ſuſpirium, gemitumve conſtituit.

§. 12. His principalibus animi paſſionibus vulgò annumerantur ejus actiones quædam internæ, amor nempe & odium: quæ non aliud ſunt quàm voluntatis, deſiderii aut facultatis activæ ſupra memoratæ motus primi, ſimplices, interni. Quamprimùm enim quidpiam intellectui ſub boni aut mali ſpecie exhibetur; ſtatim mens illud cogitatione amplectitur ſibique quantùm poteſt, conjungit, hoc averſatur fugitque. Ita ſci-

licet generalem boni malive ideam amamus aut odimus: ita viros bonos loco aut tempore diſtantes colimus, maloſque & improbos deteſtamur; aliiſque rebus ad nos minùs pertinentibus afficimur. Horum actuum nulli inſignes conſpiciuntur in corpore effectus; horum, inquam, actuum ſimplicium & in ſe ſpectatorum. Enimverò cùm alicujus boni aut mali propiorem ad noſmetipſos noſtraſque res contemplamur relationem; aliter atque aliter pro ejus relationis naturâ anima commovetur. Cum ſcilicet bonum tanquam à nobis poſſidendum ſpectamus, gaudio exultamus ejuſdem generis cum gaudio ex ipsâ poſſeſſione orto, ſed inferioris gradûs. Similia de malo imminente puta. Agnoſciſne hîc ſpem metumque, & mixtam eorum naturam partim ad intellectum ſpectantem, partim ad eam animæ facultatem quæ, guſtui analoga, voluptatis & doloris ſeu gaudii triſtitiæque ſedes eſt, & quam fruitivam dicere poſſis?

Ex conſideratione autem impedimentorum boni poſſeſſioni obſtantium, pugnæque & luctæ ad ea amovenda ſuſcipiendæ, aut contrà ad inſtans irruenſque malum propellendum ſubeundæ, accenditur voluntas, activa animæ facultas, ad actiones his efficiendis neceſſarias exerendas. Hic animi ad pugnam accenſi ardor, ira dicitur; utiliſſi-

mum maximèque necessarium ejus propugnaculum. Ea autem cùm corporis plerumque membris depugnet, anima irata sive ad propellenda mala bonique fruendi obstacula amovenda se accingens, omnia corporis membra ad vegetas strenuasque actiones exercendas parat. Id autem consequitur, omnes ejus fibras intendendo sanguinisque circuitum accelerando. Quare irâ corpus febrili more fervet.

Si boni futura possessio à nobis non pendeat; expectatione anxietas præcordia invadit. Est autem anxietas alterna præcordiorum constrictio & relaxatio, alternis spei metûsque (quibus comprehenduntur, ut ex nuper dictis de mixtâ earum naturâ patet, gaudii etiam & mœroris) motibus & effectibus debita, & incipienti voluntatis motui qualem jam iræ comitem descripsimus; quem mox reprimit ista cogitatio, futura, hoc casu, à nobis non pendere, solamque expectationem nobis relinqui.

§. 13. Unum præterea superesse video modum quo anima corpus afficit. Is est intensa meditatio, seu speculationem aut contemplationem eum appellare mavis. Eâ mentis actione videntur nervi non tàm intendi aut constringi quàm in eodem situ diutiusculè detineri; neque tàm œconomia animalis coturbari quàm vitalis facultas impediri

pediri aut potiùs non juvari & vitalis animæ in corpus influxus quadantenùs suspendi & interrumpi, quippe cui impendendæ illa aliàs occupata non vacat. Hinc imminutum ex assiduâ contemplatione corporis robur & incrementum, cibi potûsque appetitus languens, digestio debilis, & crudorum humorum generatio, externorum sensuum minùs exercitatorum hebetudo, vultûs pallor, corporis macies & ad motum desidia; deficientibus etiam debitis fibrarum vibrationibus & concussibus, sanguineque interim pleniore rivo ad caput fluente nec illinc remisso, vasorum capitis repletio ejusque gravedo.

§. 14. Hæc ex intensâ cogitatione communiter & universim spectatâ oriuntur, & literarum studiosis plerumque accidunt. Sed ponamus alicujus animum in singulari aliquâ ideâ aut particulari idearum specie sive sponte hærere sive invitum detineri (quod amantibus præcipuè accidit & cujusvis rei immodicâ cupidine abreptis, sive spe erectis, sive desperatione & mœrore dejectis); & quid inde sequatur videamus. Quandoquidem nervinarum cerebri fibrillarum ope cogitamus; hoc est, omnem cogitationem comitatur nervorum ad initia sua in cerebro motus aliquis determinatus; frequenter repetitâ aliquâ cogitatione motum ner-

vorum eidem connexum frequenter item reiterari necesse est. Ex actione autem frequenter iteratâ habitus, sive agendi facilitas sequitur: hoc est, & actionis obeundæ idea distinctissima & clarissima in mente formatur, & organa illi actioni exercendæ inservientia (quæ hoc casu nervi sunt) consuetos motus facillimè repetunt ad levissimum mentis nutum; imò communibus vitalis motûs impulsibus leviter commoti nervi facile in eum se statum componunt in quem frequenti mentis actione componi iis familiare est. Hinc fit ut idea aliqua frequenti ejus contemplatione menti familiaris facta, sæpè nobis non id agentibus se objiciat, non mentis actione sed corporei organi motu excitata. Illi autem ideæ si conjunctissima sit effusi gaudii, acerbi mœroris, iræ, furoris, aut cujusvis animi perturbationis species, illi obortæ & hæc simul individuum se comitem adjungit. Quare nonnullos olim impensiore gaudio diutiùs perfusos aut mœrore obrutos, amore, odio aut irâ agitatos; si objecti quod horum affectuum aliquem excitaverat speciem resuscites; non aliter, longè jam longèque remoto commoveri videas, quàm olim eodem tùm præsenti commoti sunt. Quod cùm adstantibus sine causâ idoneâ fieri videatur, his illi insanire, nec immeritò, putantur.

Magnum ſic inſanientium numerum oſtentat magnificum illud maniacorum hoſpitium Londinenſe cui à Bethlemâ oppido nomen fecerunt. Hîc homines benè multos videre eſt, cætera ſanos, quorum quemvis, injectâ certæ cujuſdam rei mentione, aut gaudio exultare, aut triſtitiâ dejici, aut irâ furere, aut alio quodam modo mente moveri, hujuſmodi ſpectaculis inaſſuetus mirabitur. Aliis una aliqua idea aut idearum cognatarum claſſis ita mentem occupavit ut totas horas, imò dies, conſtanti & immobili obtutu oculos in unum locum defigant, & ſui & circumſtantium immemores; quaſi totam idearum ſeriem morbi vis deleverit aut ad tempus ſaltem obleverit, unâ aliquâ exceptâ aut ideâ aut idearum claſſe, quam igitur non immeritò colligimus reliquis, etiam dùm manerent, multùm ſupereminuiſſe. Quid autem continua & diuturna cujuſvis corporis partis, non exilis tantùm nervuli ſed & totius alicujus artûs, in eodem ſitu detentio efficere valeat, ex Indorum ſuperſtitione patet; apud quos Faquieris dictis mos eſt alteram aut utramque manum erectam flexo cubito per plures annos de ſitu ſuo non dimovere; quo fit ut tractu temporis rigeſcat, nec flecti etiam à volentibus poſſit.

§. 15. Animi affectus jam ſupra diviſimus

in acutos & diuturnos; familiaribus ſcilicet morborum nominibus eos, cùm cognominum morborum cauſæ fiunt; inſignientes. Acuti igitur, hoc eſt, magni ſubitique animi affectus, ejuſdem generis, hoc eſt, acutos morbos gignunt. Subitò ſcilicet & derepentè incitatâ fibrarum oſcillatione, humores improviſo impetui cùm non ilicò cedant, pro auctâ circuitûs eorum velocitate, quæ à ſenſim creſcente illarum momento erat expectanda, repentina omnis motûs inhibitio & humorum ſtagnatio, quæ mors eſt, ſequitur. Et licet paulo remiſſiora ſint hæc omnia, magna ſaltem orietur animalis œconomiæ perturbatio, quæ nec ſubitæ mortis periculo vacabit; &, ſi illud effugiatur, graviter tamen conquaſſata corporis fabrica rimas aget non facilè in poſterum reſarciendas. Mærorem autem ſubitum hæc omnia tantò faciliùs conſequentur quantò arctiùs eo affectu corporis totius fibræ, præſertim nervi per præcordia diſtributi, eorumque interventu ipſa præcordia, conſtringuntur.

Notabile violentæ hujus conſtrictionis & ſubſequentis rigoris exemplum præbet conſternatorum horror, quo hic totus contremit, ille loco ſe movere neſcit, & eſt qui (ſit honos auribus) alvum ſubitò & violen-

ter dejicit. Per capitis præcipuè cutem rigor ſentitur: nam conterritis capilli, ſi non ſteterint, ſtare tamen videntur, erectis ſcilicet eorum ſaltem truncis quouſque cuti inhærent. Tam arctè autem quandoque pili contractione cutis conſtringuntur ut omne illis nutrimentum penitùs intercludatur ſubitò, & jam ingreſſum eorum fibræ magnam partem exprimere videantur, unde, cùm exaruerint, pro capillis cani fiunt; quod nonnullis vehementi terrore perculſis anguſto unius noctis ſpatio accidiſſe fertur, & temporis morâ pleriſque ſenibus, aridis ſcilicet & rigentibus, accidere omnes nôrunt.

Nec diverſi ſunt gaudii ſubiti & vehementis effectus, cùm ex ſimilibus cauſis oriantur. Quæ de ſincero gaudio ſi verè dici poſſunt; de perturbato certè & timoris de amittendo bono poſſeſſo aut mox poſſidendo, hoc eſt, anxietatis aut iræ pleno negari non poteſt morborum acutorum, ſaltem febriculæ, parentem fieri illi in proclivi eſſe. Ipſa enim anxietas & ira, temporanea febris utraque eſt. Et ſi quem violentior ira incenderit aut moleſtior anxietas vexatum torſerit, non ille profectò febriente leviùs, aut aliter, ægrotat, & omnibus periculis à fervente ſanguine per firmiùs tenſos corporis canales, torrentis more, ruente (qualis

eſt febrientium) metuendis opportunus, non minùs periclitatur. Et, ut notabile aliquod febris ſymptoma commemoremus, non pluribus fortaſſe febris, quàm ira, phrenitidis cauſa extitit.

Obſervatu dignum eſt, quibuſdam irâ exæſtuantibus per vices rubore igneo genas totumque vultum infici, & pallore lurido ora occupari. Hoc autem non niſi magnum aliquod & ſummè periculoſum facinus animo agitantibus accidit; quibus jam triſtis periculi ſpecies præcordia frigore conglaciat vitamque & vitalis humoris curſum ſufflaminat, mox amabilis forma boni novos ad audendum & conandum animos addit. Ex metu autem & mærore circuitûs humorum retardationem & conſequentem pallorem, ex audaciâ & ſpe exundantem ſanguinis rivum ejuſque effectum vultûs ruborem, jam ante deduximus.

§. 16. Diuturnarum autem, interimque mitiorum, animi perturbationum ſoboles ſunt diuturni itidem morbi: nam & levium & citò tranſeuntium nulli ſunt illuſtres aut notatu digni effectus.

Mæror quomodo corpus ita affligat ut, ſi jam morbidum non agnoſcas, morborum tamen diuturnorum ſeminibus mox pullulaturis abundè conſitum faſſurus ſis, ex antè dictis facilè colligitur.

Ex aſſiduo autem nimioque gaudio, diverſiſſimâ radice, ſimiles fructus quî naſcantur nec ita promptè intelligitur & propterea pleniùs id exponere operæ pretium erit. Oſtendimus, gaudio moderato animam tenente, corporis fibras iis vibrationibus concuti quæ vitali facultati juvandæ vitæque & ſanitati conſervandæ apprimè conveniunt: effuſiore autem gaudio (quod ferè triſtitia, tanquam umbra corpus, ſubſequitur) eaſdem vibrationes longiùs excurrere, ut fidium vehementiùs impulſarum excurſiones latiores ſunt: quæ tamen vibrationum excurſio non de majoribus fibris, ſed de ultimis minimiſque fibrillis eſt intelligenda. Ad hunc modum divulſis ſupra quam par erat fibrillis vaſculorum latera conſtituentibus, inter earum duas quaſque contiguas infinita interſtitiola aperientur, alternis ſcilicet per ſingulas vibrationes hiantia & occluſa. Per illa autem fieri non poteſt quin exhalet nimiâ copiâ quodcunque in totâ humorum congerie tenuiſſimum & ſubtiliſſimum eſt: non perſpirabilis tantùm materia ad ejectionem parata, cujus evacuatio ſanitati conducit & modico gaudio non aliter quàm moderatâ exercitatione promovetur; ſed ille etiam, prædicto fortè paulò craſſior, liquor qui fibris, & præcipuè nervorum, humectandis earum-

que mobilitati & elaſticæ vi conſervandæ neceſſarius eſt, & ille quo ipſæ deperditæ motu vitali & exercitio fibrarum partes reſarciuntur, hoc eſt, corpus nutritur: nam non ſanguine rubro, ſed ſubtilius elaborato inde educto liquore albicante corpus nutriri vix jam unus & alter ſupereſt qui neget. Ad hæc, ita mutatis nimiâ illâ vibrationum excurſione particularum ex quibus fibrillæ conſtant contactibus ut ad præcisè eoſdem redire non poſſint neque per novos & præcipitanter factos priſtinâ cum firmitate cohæreant, vides fibras laxari earumque, hoc eſt, corporis ex iiſdem compoſiti, robur debilitari. Ex laxatis verò, debilitatis, & vi elaſticâ aut humore ad ejus conſervationem neceſſario deſtitutis fibris omne morborum diuturnorum genus ſequi, facile eſt perſpicere.

§. 17. Diuturnis animi affectibus meritò accenſetur quæ religioſa melancholia appellatur. Ea eſt hominis infortuniis fracti proptereaque animo dejecti, aut corporearum voluptatum tædio affecti, rerumque terreſtrium jacturam cœleſtis & ex verâ religione ſinceris ejus cultoribus naſci ſoliti gaudii fruitione ſarcire aventis mæror. Iſte quidem affectus circa religionem verſatur, ſed hominis verè pii non eſt. Neque aliud eſt quàm morbus corporeus ex humorum

lentore & fibrarum remissione ortus, & tristitia animi inde nata. Quâ affecti non ideò verè pii dicendi sunt: imò rerum divinarum imperiti, nec veræ religionis præceptis obtemperare edocti, & quò se vertant nescii, fluctuant incerti; indociles, superstitiosi & meticulosi fiunt; nonnunquam & ad ultimam desperationem rediguntur.

§. 18. Jam supra monuimus animam communi sensorio, tanquam citharædum organo musico, assidere; & clavicularum organi loco esse nervorum principia, chordarum vice ipsos nervos; quibus si justa sua tensio aliæque conditiones requisitæ constent, rectè omnia atque ordine intra animal fieri; illis autem laxatis, remissis, effractis, contraria omnia evenire. Ex dictis autem facilè colligitur animi affectuum in turbandâ corporis œconomiâ vis insignis.

Quare omnibus, & præcipuè infirmis, valetudinariis, sedentariis & literarum studio se dedentibus omnis animi perturbatio sive vehemens sive diuturna non minore curâ vitanda est quam immodica cibi generosi & potûs spirituosi ingestio: si vel mentem sanam, vel sanum corpus, vel liberam integramque ingenii vim conservare cupiant. Cùmque monstratum sit à vehementibus subitisque quàm à lentioribus quanquam

diuturnis animi perturbationibus majus magisque præceps periculum imminere: consequens est, diligentiùs etiam ab illis quam ab his viro prudenti, cuique sanitas curæ est, cavendum esse.

§. 19. Ut verò pateat quid pro variâ hominum indole & fabricâ animi affectus in corpore efficere possint, sequentium observationum ratio est habenda.

Quibus tenues quidem, sed expeditæ, multùmque vi elasticâ pollentes fibræ sunt, ii acutissimè sentiunt; cùm eorum nervi etiam minore vi impulsi vividiùs tremant. Tales sunt qui phantasiâ sive imaginandi facultate excellunt, ut genus irritabile vatum. Istâ autem facultate præstantibus cùm sensuum objecta vividiores sui imagines imprimant, majoreque voluptate organa titillent; sensuum ideò voluptatibus illi præ aliis quibuscunque dediti sunt, impensiùsque bacchum veneremque colunt. At si senii prima tempora (quod tamen eorum paucis accidit) attingant; juvenilis ætatis gaudia & voluptates, istius doloribus & cruciatibus abundè pensabunt.

Qui rigidioribus minùsque mobilibus, cæterùm sanis integrisque fibris sunt, minùs vividè acutèque sentiunt, neque tam pernici celeritate cogitant; cùm movendis rigidiusculis, nec ita facilè ad vibrationem

ciendis, fibris majore impetu opus ſit. Hi judicio præſtant, & diu continuatæ intenſæque cogitationis patientiores ſunt, longamque idearum ſeriem indefeſſi animo revolvunt; unde Mathematicis ſcientiis aptiores ſunt. Cæterùm diuturnis animi affectibus, quibus, tanquam longis morbis, ſenſim conficiuntur, quàm violentioribus & ſubitis magis obnoxii reperiuntur.

Quorum denique fibræ præ nimiâ craſſitie & robore difficillimè vibrant, rigent, & elaſticâ vi ferè deſtituuntur, quibuſque nervi, ſenſuum & intellectûs inſtrumenta otio corrupta obriguerunt: illi ut hebetes ferè ſtupidique ſunt, vixque ullam animi perturbationem, aut ſaltem obtuſiſſimè, ſentiunt; ita firmiſſimis plerumque viribus ſunt, morbiſque ab animi affectibus oriundis rariſſimè laborant; imò nullis ferè doloribus obnoxii vitam ſilentio tranſigunt. Hujus generis ſunt operarii robuſtiores, & maxima fatuorum pars, illi denique quibus indolentium ex vero ductum cognomen adhæret.

Dixi nervos intellectûs operationibus inſervientes otio ſituque rigeſcere & torpere. Quod cum artubus & reliquis quibuſcunque corporis partibus accidat, cur non & in nervos cadat non video. Imò ut membra exercitatione & motu mobilia agiliaque

fiunt, idem & in nervis fieri necesse est. Certè ipsas animæ facultates continuâ exercitatione in meliùs proficere conspicimus. Nam non memoria tantùm excolendo augetur; sed & ingenium usu acuitur, judiciique lumen sæpe judicando fit splendidius, Ipsarum verò facultatum profectûs non minima pars, earundem instrumentis indies habilioribus factis debetur. Eadem autem organa si intemperanti victu, humorumque vitio, nonnunquam etiam si externis nocumentis aut malâ partium conformatione corrupta sint, artis Medicæ aut Chirurgicæ præsidio integritati suæ restituuntur. Quare ut ipsarum animæ facultatum vis & acumen, organorumque iis inservientium habilitas augeatur, nostrâ etiam curâ (temperanti præcipuè victu & tàm corporis quàm animi exercitio) effici potest. Idem etiam victus qui corpori sanitatem & menti vim addit, animi affectibus violentis quicquid illis à corpore fomitis est subtrahit, eorumque impetum retundit.

§. 20. At animi affectibus si ex ignaviâ nostrâ mentisque impotentiâ vires accreverint: si, remissis habenis, eorum impetui non obstiterimus, eorumque dominio turpiter nos subjecerimus: tum non ab arte Medicâ, imò vix ab ipsâ ratione merâ solâque, quidquam auxilii sperandum est. So-

lus ille cujus in manibus hominum corda ſunt, quique ea, ut figulus lutum, fingit formatque, qui maris undas aërisque procellas regit, immanibus illis animæ procellis componendis temperandiſque ſufficit. Quod tamen niſi fiat, agitato earum violentiâ homine corpus (infirmior nempe compoſiti pars) faceſſat & ruinâ tandem immani ruat neceſſe eſt. Unum hîc præſidium in religionis præceptis eſt, quibus omnium affectuum loco Dei amor eſſe jubetur. Quod & rationi maximè conſentaneum eſſe, & (quod magis paradoxum eſt & vulgi opinioni adverſum) ſanitati conducere & œconomiæ animalis turbis ſedandis mirificè conferre, jam monſtrare aggredior.

§. 21. Caritatem, ſive amorem divinum, ſuprà oſtendimus corporum mutuæ attractioni analogam eſſe. Eſt enim nihil aliud quam inclinatio quædam & propenſio omnibus ſpiritibus à ſummo rerum opifice Deo, cùm primitùs eos conderet, indita quâ continuò tendunt & annituntur, ut cum objectis amari digniſſimis, ipſo nempe Deo aliiſque Spiritibus puris, ſive nondum contaminatis ſive à ſordibus ſuis repurgatis, uniri jungique poſſint, & amotis obſtaculis reverâ unirentur. Iſtud quidem principium in lapſo homine, ruinæ ejus quaſi ruderibus obrutum, rerum corporearum un-

dique nos circumstantium & ad se trahentium actione contrariâ illud ita impediente & quasi suffocante ut eò usque tantùm ejus vis sentiatur ut id non penitùs perîsse scias, & quò suscitetur & vigeat eâ violentiâ ut opus sit quâ Scriptores sacri regnum cœlorum capi docent; hoc, inquam, statu ista charitas spiritualis quædam passio (prout passiones vulgò enumerantur) dici potest; quamdiu scilicet nisus potiùs est & prima voluntatis ad caritatem suscitandam propensio, quàm ipsa caritas. Cùm tamen ad integram suam vim & vigorem succreverit, primam se & principem esse animæ facultatem ostendit, aut præcipuam ejus actionem (ut suprâ amorem & odium non passiones sed animæ actiones esse monuimus) quâ, sponte suâ nec intellectûs operatione excitata, agit inque suum objectum fertur. Sicut lapis muri partem constituens, aliis lapidibus circumpositis compressus, calce agglutinatus & undique attractus, in terram decidere nequit aut ullis innatam suam gravitatem signis prodere: ita anima humana lapsa, rebus sensibilibus immersa, ignorantiæ & proterviæ suæ compedibus vincta, satanæ, mundi, carnisque illecebris abrepta, quò minus istud innatum sibi principium ullâ satis illustri actionum serie evidenter prodat (quanquam superesse aliquot

non obſcura ejus indicia ſuprà oſtendimus) impeditur, uſque dum, illuſtrato divinitùs clarâ luce intellectu, & voluntate cœlitùs excitatâ, tandem ſui juris facta id exerere valeat. Tum nexibus quibus priùs detinebatur ſoluta & quaſi in vacuo conſtituta ad fontem & originem ſuam aſcendit, ut aquila in ſublime fertur. Caritas igitur quid ſit vidimus; nunc quâ causâ in Deum præcipuè feratur videamus.

§. 22. Amoris certè proprium & peculiare objectum eſt pulcritudo, non minùs quàm visûs lumen. Deformitas enim, quâ talis, amari nequit. At pulcritudo quid eſt niſi concinnus ordo ſive proportio aut analogia? Et cùm pro pulcritudinis ſuæ gradu unaquæque res amabilis ſit: Deus certè, cujus infinita eſt pulcritudo & conſummata perfectio, ſummo & intenſiſſimo amore; res autem creatæ, pro ſuo quæque pulcritudinis modulo plùs minùſve, amandæ ſunt. Cùm verò finitum, ſi cùm infinito comparaveris, evaneſcat & inſtar nihili ſit; unum autem ſit infinitè bonum & perfectum, nec plura eſſe poſſint; alia enim bona finita ſint, hoc eſt, inſtitutâ comparatione, nihil: neceſſariò ſequitur, ſecundum æternas & immutabiles proportionis aut analogiæ leges, unum ſupremum bonum infinitè perfectum amore amandum eſſe, eo quo in

alias res ferimur infinitè ſuperiore; ſive, quod eodem redit, Deum eſſentiæ noſtræ fontem & originem amore infinito, alias res quaſcunque & in his noſmetipſos, amoris gradu finitæ earum naturæ congruente & qui, cum illo altero ſi conferatur, omnino nullus videri poſſit, eſſe amandas. Ipſam rei veritatem vides geometrarum demonſtrationibus non minùs evidentem; quicquid ſui ipſius & ſenſualium voluptatum amantiſſimi ſentiant aut contra crepent.

§. 23. Non tamen hæc ita intelligi velim quaſi ego putem Deum amore reverâ infinito proque ſuâ dignitate à nobis amari poſſe, aut res creatas, quarum numero ipſi comprehendimur, amore reipsâ nullo amandas eſſe; cùm ſuum cuique pro pulcritudinis gradu amoris modulum deberi docuerim. Hoc tantùm volo; ad amoris divini celſiſſimum culmen totis noſtris viribus nobis annitendum eſſe ut aſcendamus: nos interim ipſos aliaque finita debito amoris gradu proſequi licere. Eſt enim pravus quidam & improbus, eſt & qui culpari nequit noſtri rerumque nobis utilium amor. Si enim non alio amoris gradu noſmet proſequamur quàm quo nos dignatur Deus juſtus & omniſcius, æquiſſimus rerum æſtimator, aut quo nos ipſi proximum diligimus; Deum interim amore, quantum in nobis

est, summâ ejus perfectione digno amantes, nempe infinito, hoc est, indies crescente nec finem aut limitem agnoscente: His, inquam, legibus finitus nostrûm ipsorum amor neutiquam culpabilis est, quippe loco quem nos in rerum ordine tenemus debitâ proportione admensus. Similia de aliarum præter Deum & nos ipsos rerum amore cogita.

§. 24. Etsi ex ipsâ hâc demonstratione sequatur Deum propter se solum infinitamque suam perfectionem infinitè amandum esse, omissâ omnium aliarum rerum, etiam beatitudinis nostræ ex ejus fruitione & cum illo unione ortæ, ratione & respectu, sive ab his abstrahendo, ut Logici loquuntur: Ex ipsâ tamen rei naturâ hæc duo, Dei scilicet amor & nostra felicitas indivulso nexu cohærent; nec fieri potest ut qui Deum amat non etiam summè felix & beatus sit. Quod ut manifestius fiat, voluptatis, cujus summus gradus felicitas est, naturam videamus. Ut voluptas corporea, sive quam anima ex unione suâ cum corpore percipit, ex motu oritur quem corpora externa organis nostris imprimunt nervorum tensioni congruo, tali nempe qui maximas eorum vibrationes, oscillationes aut tremores excitat quos quidem sine divulsionis (qui doloris sensum creat) periculo ferre possunt, quique prop-

terea commensuratus aut harmonicus dici potest: ita animæ voluptas, quam scilicet sine corporis interventu percipit ex pulcritudinis (quæ tota in symmetriâ, proportione & quasi harmoniâ sita est) sensu oritur; quæ & intellectui perplacet, & ad quam voluntas sive activa animæ facultas ut illâ frui possit, totis suis viribus contendit & annititur. Cùm autem pulcritudinis fruitio in ejus amore & intuitione sive contemplatione consistat, & fruitionis effectus voluptas sit: summa certè voluptas, sive felicitas summa in boni aut infinitæ pulcritudinis, quæ Dei solius est, amore & intuitione consistet. Unde manifestè sequitur Dei amorem à felicitate & beatitudine, ex ipsâ rei naturâ, inseparabilem esse.

§. 25. Exponamus porrò quid ad sanitatem corporis amor divinus conferat. Cujus consideratio etsi primâ fronte cum sanitatis curâ nihil commune habere videatur: quæ tamen de ea tradidimus si firmiter animo hæreant actionumque nostrarum norma fiant; & morbis avertendis & sanitati tuendæ vitæque producendæ ita conducere invenientur, ut nihil quidquam omnium rerum efficaciùs.

Si enim, rem quamque pro dignitate suâ amantes, Deum unicè & infinito, cæteras res nullo (saltem qui ad Dei amorem col-

latus nullus sit) amore prosequeremur; simplex & unica nos cura teneret, omniaque nostra cogitata, dicta, facta eò unicè collimarent ut Deum unum impensiùs & porrò impensiùs diligeremus. Hinc omni anxiâ de rebus quibuscunque solicitudine liberaremur. Est autem ea solicita & anxia de rebus externis cura magno animis nostris cruciatui. At animi vexatio & anxietas plurimorum morborum origo ex supradictis facilè conspicitur.

Deinde cùm amor morum amantis cum amati moribus similitudinem gignat; si Deum infinitè perfectum intensissimo amore diligeremus; totis nostris viribus ad ejus perfectionum imitationem nos componeremus. Unde odium, malitia, luxus, libido, ignavia, aliaque mentis vitia morborum corporis fœcundi fontes exarescerent.

Denique, cùm amor divinus mentem non tantùm celsitudine quâdam & nobilitate illustret, sed & exquisitissimâ voluptate & gaudio perfundat; (Deo enim, si sacro Vati credimus, adest plenitudo gaudii eique à dextrâ adfluunt perennia voluptatum flumina) cùmque quantò impensiùs amamus tantò magis crescat felicitas nostra: Dei certe amatores gaudio inenarrabiliter sereno & tranquillo beantur. Quo efficacius nullum vel cogitatione fingi potest sanita-

tis tuendæ vitæque producendæ adjumentum.

CAPUT VII.

Ea complexum, quæ, etſi præcedentibus capitibus non poterant ſervatis methodi legibus comprehendi, infirmorum tamen ſanitatis conſervandæ ſtudioſorum intereſt ſcire.

§. 1. CUm in ſuperioribus morborum diuturnorum frequens & iterata, & acutorum etiam aliquoties mentio facta ſit; infirmis me gratum facturum puto ſi horum atque illorum differentiam & utrorumque indolem atque ingenium apertè oſtendero. Acuti igitur ii morbi vocantur qui breviore tempore ſtadium ſuum decurrunt, vehementioribus ſymptomatis naturam acriùs impugnant, citòque finiuntur aut ſalutari criſi aut morte: unde etiam celeres, breveſque nominantur. Hi quadraginta dierum terminum non excedunt: qui enim hos limites ſuperant jam diuturni fiunt, qui & chronici, longi & tardi dicuntur; tardiùs ſcilicet progredientes, mitioribus ſymptomatis remiſſiùs inſtantes,

nec niſi temporis diuturnitate jugulantes. Non tamen ſine fine excurrunt, modum quippe & terminum habituri ex ipſo naturæ ordine & animalis machinæ fabricâ, niſi novus ſemper iiſdem fomes ſuppeditaretur. Idoneis enim medicamentis commodoque victûs regimine lenti humores magnopere attenuari, & flacceſcentibus fibris robur non pœnitendum reddi poſſet, ſanitaſque ægris, non minùs tardis quàm acutis morbis laborantibus, ſperari. At hæc cum non niſi temporis diuturnitate, diligenti curâ, magnâ cautelâ, tolerantiâ invictâ, perſeverantiâ conſtanti, ſeveriore denique & diuturniore abſtinentiæ inſtituto quàm cui ferendo hominum plerique animo pares ſint: cùm, inquam, non aliter hæc effici poſſint, viâ autem tot támque aſperis ſentibus obſitâ ad ſanitatem redire, luxurioſis gulæque deditis nequaquam placeat; nunc Medicis vulgò exprobrant, morbis acutis unam naturam mederi, diuturnorum nulla inveniri remedia.

Cujus duplicis calumniæ æqua eſt utriuſque partis falſitas. In acutis enim morbis prudenti artis præceptorum uſu ſymptomata mitigantur, ægrorumque dolores leniuntur: Imo, Medicus quò natura vergat cùm perſpexerit, ejus ſigna ſecutus, auxiliares ei copias ſubmittit, obſtacula tollit, victo-

riamque & de morbo triumphum (qui crisis est) nonnunquam certum maturat, aliquando tutum facit aliàs ancipitem futurum. Et hæc quidem Medici fidum auxilium præstat cùm naturæ, hoc est, ipsius corporis fabricæ satis virium & firmitatis superest ad morbum eliminandum: Et hæ verò si deficiant, ægroque omninò moriendum sit; favente tamen Medico, minùs saltem sævientibus doloribus moritur, fortè & penitùs sopitis lenitisque non tàm moritur quàm obdormiscit ille cui, abnuente opem suam Medico, mortis horror dolore cumulandus, aut medios forsan inter cruciatus erat pereundum.

Morbis verò tardis venientibus si occurratur, ante scilicet quàm insigniorum viscerum aliquod defecerit, aut altiorem labem contraxerit; fidi ac periti, sagacisque Medici consilio eorum plerosque profligari posse certum est. Quod si minùs successerit, id ipsi profectò ægro vitio dandum est, uni certæ ad salutem viæ insistere aut nolenti aut, animi infirmitate, impotenti. Non nego morborum chronicorum nonnullis, neglectis scilicet inter initia & pro nihilo habitis, nunc autem longâ morâ invalescentibus, serò Medicinam & frustra parari; alios autem, quibus à parentibus haustis ipsa prima ægrorum vitæ stamina vitiata &

corrupta ſunt, immedicabiles eſſe, neque aliud ægris ſpei ſupereſſe præter aliquale dolorum lenimen. Quo caſu magna prudentiæ pars eſt ſcire quid natura ferat aut fieri patiatur, ſuoque ſanitatis modulo, quantum ſcilicet prava à primá origine diſpoſitio permittit, contentum vivere. Iſtud tamen affirmare non dubito, regularum monitorumque hoc tractatu traditorum fideli & conſtanti obſervatione quoſcunque ferè diuturnos morbos, etiam ferociſſimos, ita deliniri mulcerique poſſe, ut vita, gravioribus doloribus vacua, ſaltem tolerabilis fiat; quo majus quidquam ab arte, hoc in caſu, ſperare non licet: Eos autem quibus, nondùm corrupto aut penitiùs ſaltem tacto nobiliorum viſcerum aliquo, tempeſtiva adhibita eſt medela, ab imis etiam radicibus poſſe evelli.

Sed artis patrocinio ſatis jam datum eſt. Ad rem revertamur. Acuti morbi ſignum certiſſimum eſt, frequèntior quàm ſanis eſſe ſolet arteriæ pulſus; tardi è contra, rarior: ille enim rapidè & celeriter corporis fabricam diruit; hic ſubruit tardiùs. Chronicis quidem morbis ſui ſunt quandoque paroxyſmi acutorum æmuli; præcipuè ubi jam fatum miſero ægro imminet. Et acutorum aliquammulti in chronicos deſinunt. Supra-tradito autem ſigno non tantùm ipſi morbi

diſcriminantur, ſed & chronicæ, ut ita dicam, in acutis intermiſſionis aut remiſſionis, & acutæ in chronicis exacerbationis tempora innoteſcent.

§. 2. Sunt qui pueritiæ & adoleſcentiæ tempora illibatâ ferè ſanitate tranſigunt, quos tamen in ipſo virilis ætatis flore, circa annum ſcilicet ætatis plùs minùs triceſimum quintum, chronici morbi occupant, & aut paucorum annorum ſpatio jugulant, aut per reliquum deinceps vitæ curriculum acerbis doloribus affligunt vexantque. Tabes putà nonnullos eo ætatis perimit. Aliis calculus, articularis morbus, rheumatiſmus, ſcorbutus, hydrops, ſcrofula, morbique cutanei, tùm primùm oboriuntur, aut cùm priùs incertis ſe prodiderint ſignis, eo primùm tempore vigent propriamque ſuam ideam ſeu typum aſſumunt. Hæc eò ſic evenire eſt credibile quòd fibræ, ex iiſque contextæ membranæ canales humorum conſtituentes, quàm diu ad totam ſuam amplitudinem nondùm explicatæ & diſtentæ humores etiam vehunt minùs vitiatos, tenuiores, fluidiores, mitioreſque; pauxillum illud acris ſalis quo contaminati ſunt humores, vellicatione ſuâ membranas irritans, fortiores tantùm & vividiores tremores & vibrationes excitat, quibus earum plicæ rugulæque evolvuntur & diſtenduntur (nam adoleſcere

adolescere non aliud est quàm complicata in animalculo seminali vascula explicari, distendi, humoribus repleri; cui simillimum quidpiam in plantarum seminibus oculo manifestè patet) & si quæ crassiores moleculæ canales obstructuræ humoribus insunt, canalium cedentium ulteriore semper extensione earum vis eluditur. Vascula autem cùm quantùm extendi possunt extenta sunt & homo extremum augmenti terminum attigit (quod circa vigesimum quintum ætatis annum plerumque contingit) auctâ salis acris & copiâ & acrimoniâ, neque canaliculis ultrà cedentibus, eorum fibrillæ tum primùm exedi corrumpique incipiunt. Tractu deinde temporis salsis illis humoribus ad summum acrimoniæ gradum pedetentim quasi maturatis, succi ulteriùs vitiati minora primùm vascula corrodunt, deinde etiam majora vasa labefactant, aut penitus consumunt, conspirantibus obstructionibus hîc illîc factis ab auctâ grumulorum, in viscidioribus jam humoribus, & mole & numero. Ex quo progressu lentè & gradatim facto, fit ut non statim à consistente corporis augmento, sed (si jamjam enumeratorum temporis ad hæc efficienda requisiti intervallorum summam colligas) aliquot post annis (plerumque circa trigesimum quintum, ut supra monuimus) horum morbo-

K

rum notabiliores aggressiones observentur.

Quibus prima labes à parentibus traducta penitiùs hæret, atque infirmior corporis compages est, eos maturiùs hæc mala occupant. Quibus lenior est labes, & firmior partium fabrica, ii pugnam diutiùs sustinent seriùsque victi succumbunt. Sed maximæ hominum parti hujusmodi morbis obnoxiorum primi eorum notabiles insultus ultrà sæpiùs nominatum trigesimum quintum annum non differuntur. Et de tabe speciatim vulgaris observatio est, eâ consumptos ante annum ætatis trigesimum sextum tabescere cœpisse.

§. 3. Diuturnorum morborum nullus aut latiùs patet aut pertinaciùs hæret aut majorum pluriumve malorum Britannis nostris origo est, quàm ille morbus, morborum potiùs cohors dicendus, Teutonico nomini infensissimus hostis & Teutonicâ scorbuti appellatione notissimus. Vix unum & alterum reperias morbum è diuturnorum genere cui non scorbutica cachexia aut ortum dederit, aut illi conjunctissima amplas graviorum symptomatum suppetias subministret. Huic plerumque meritò imputes hydropem post ætatem adultam ingruentem, diabeten, asthma, atrophiam, tabem, paralysin, colici doloris, diarrhœæ, arthritidis & rheumatismi, ulcerumque varia ge-

nera, ipſumque forſan cancrum, fœdos pleroſque cutis morbos, debilem concoctionem, infirmam conſtitutionem, melancholiam hypochondriacorum, & quoſcunque ferè nervorum morbos, qui quot quámque variis modis miſerum ægrum excrucient experti uni nôrunt. Verbo, cuivis ferè è diuturnorum agmine aut laxiùs aut arctiùs conjuncta eſt iſta peſtis.

Endemius autem hic morbus ex endemiis cauſis naſcitur, liberiore nempe carnis potûſque fortioris & fermentantis uſu, ſedentario vitæ genere, exercitiique defectu, nitroſâ aëris inſulæ noſtræ humiditate, indeque ortâ cœli inclementiâ & tempeſtatum inconſtantiâ. Hæ cauſæ quomodo effectum iſtum gignant (quanquam ſimile quidpiam jam ſupra factum eſt) paucis enarrabo, ut quæ ad hanc rem ſpectant uno conſpectu exhibeam. Ex animalium carnibus potuque generoſo non parcè per longum annorum tractum devorato neceſſe eſt corporis humores multo ſale abundare; cujus particulæ minimæ, corpore parùm agitato, facilè in moleculas majores coibunt; quarum magnitudine auctâ majoreque inde natâ acrimoniâ, diffringentur ſanguinis globuli, quo ille partim in coagulum tenax lentumque, partim in acre ſerum faceſſet, quorum altero fibræ erodentur, altero canales quique

K ij

minimi & præcipuè glandularum, aut penitùs aut magnâ quiſque ſui parte obſtruentur; unde nervorum oſcillatio ſive vibratio, quocunque in loco à vaſculis diſtentis duriùs arctiúſque premuntur, interrupta, ſiſtetur aut ſaltem turbabitur; magnæque per totum corpus turbæ concitabuntur.

Generalis autem iſta cachexia variis ſymptomatis ſe oſtendet pro variâ partium ægri corpus componentium conformatione, organorum debilitate aut robore, erroribus in victu admiſſis, aëris denique quem ſpirat temperie & indole. Quibus circumſtantiis limitatæ generales cauſæ omnibus particularibus ſcorbuti ſymptomatis quantùmvis diverſis omnique morborum ſupra recenſitorum varietati gignendæ ſatis ſuperque ſufficiet.

Ex plurimis ejus ſymptomatis unum quoddam præcipuum hîc exponere libet, quod, cùm inter primos viſcoſi acriſque ſanguinis, in quo morbi naturam ſitam eſſe docui, effectus ſit, &, ſi quâ ope æger ſanetur, omnium diutiſſimè perduret, pro ſigno morbi pathognomonico haberi poteſt. Illud autem eſt, materia viſcoſa linguam vicinaſque faucium glandulas contegens, alba primùm, deinde flaveſcens, poſtea ruffa, creſcente interim indies ejus lentore, tandemque nigra evadens inque cruſtæ modum

dura. Progrediente hâc colorum ſerie, cutis maculis ſcorbuticis hîc illic diſtinguitur fœdaturque, febres ſcorbuticæ ingruunt, gingivæ denteſque fœdè vitiantur, atrophia denique & hydrops ægrum invadunt: Quò cùm eſt perventum minimum ei profectò ſpei ſupereſt, corruptis jam humoribus, integram denuò ſanitatem inſtaurari poſſe. Illa autem cruſta, quâ & lingua obtegitur & fauces, non aliud eſt quàm mucus iiſdem lubricandis à naturâ deſtinatus, jam viſcidior factus & glandularum ductibus excretoriis hærens, ibidemque à calidis & ſalſuginoſis è ventriculo aſcendentibus halitibus & reciproco ſpiritûs motu exſiccatus. Neceſſe eſt ventriculi & inteſtinorum omniumque patentiorum ductuum mucum ſimul etiam ſolito lentiorem fieri. At ii cùm in abdito lateant, lingua autem in propatulo ſit; hujus inſpectione de totius corporis ſtatu dijudicandum eſt. Sunt qui linguâ quotidie purgatâ, ſuccreſcentis nempe materiæ abraſione, morbum deleri putant. At illi falluntur; cùm nonniſi tenuis, refrigerantis & diluentis victûs longo aliquot menſium, forte & annorum, uſu ejus radices ſuccidantur.

§. 4. Scorbutus igitur Britannis endemius morbus eſt, à cauſis permanentibus totique quà patet regioni communibus orta, popu-

li ſcilicet circa victum moribus, cœlique naturâ, quibus ſanguis eo quem ſuprà expoſuimus modo corrumpitur fibriſque elaſtica ſua vis perit. Ita ut pleraque diuturnorum morborum pars à ſcorbuto malorum feraciſſimo, tanquam à radice ſurculi, pullulare videantur. Diuturni itaque morbi, cùm cœli naturæ victûſque noſtratibus, & omnibus quidem gentibus borealibus, uſitati rationi debeantur; his quàm calidioribus regionibus longè frequentiores ſunt; quarum non tantùm incolæ iis ferè intacti degunt, ſed & advenæ iiſdem liberantur, ſi modò tempeſtivè & nondùm penitùs conſumptis naturæ viribus eò advolaverint; conſpirante ad eundem effectum & victûs tenuitate & blando aëris fotu quo perſpirabilis materiæ fluxus perennis & copioſior promovetur. Borealium quidem regionum quàm auſtralium & calidiorum incolis frequentior eſt longævitas. Pleriſque tamen illorum, præcipuè honeſtiore loco natis lautéque & in otio viventibus, diuturnus aliquis morbus ſenii tempora anticipat, inque ipſo eos ætatis flore frangit aut vehementer concutit. Eâdem de causâ familiarius eſt Anglis ſuicidium. Paucis enim datum eſt forti animo perferre continuos morbi diuturni dolores, præcipuèque acerbos & ferè perpetuos dejecti animi & melancholiæ hy-

pochondriacæ cruciatus; qui morbus in plerisque, imò (ut probabile fit) omnibus suicidis ad insaniam & dementiam usque priùs progressus est quam violentas sibi injiciant manus.

Quantumvis autem magna hominum multitudo scorbuto laboret; nunquam tamen vel unum ex tanto numero vidi qui postquam morbi vires diuturnitate creverant ab eo in integrum pristinæ sanitati redditus fuerit; aut cui non identidem de novo pullulârit & hoc vel illo symptomate latentem se prodiderit, tandemque gravi aliquo quod vitæ filum præciderit. Non quòd morbus insanabilis sit, sed quòd eâ methodo sit sanandus quæ plerisque nostratibus minimè arridet, parco nempe tenuique victu & à sapidiore quoque cibo potuque palato gratissimo accuratâ abstinentiâ moribus nostris plurimùm adversâ. Elegantiori autem lautoque victui plus æquo deditì non alio fine Medicos adhibent quàm ut instante periculo eorum operâ liberati tutiùs in posterum pergant cupidini suæ indulgere: Ut lotricibus lintea purganda committunt, non quæ pura mundaque conservent sed quæ denuo polluant.

Non aliter certè hydræ istius multa capita reprimus, quàm parco modicoque carnis esu, ejusque solius quæ sale urinario

minùs abundat (qualis est juniorum animalium & coloris albicantis) potuque spirituoso parcissimè adhibito, debito corporis exercitio, cautèque te contra inæqualis nostri cœli injurias tuendo. Imò non nisi à carnis esu potuque fermentato & spirituoso penitus abstinendo hunc morbum ab imâ radice rescindas. Nec istâ quidem abstinentiâ rem conficies nisi maturè incipias, ante scilicet, aut non multò post ætatem consistentem. Alioquin humores penitiùs corrumpentur, viresque frangentur, aut minus temporis supererit quàm ut morbus ita pervicax quique altas jam radices egerit evelli possit. Quare isto morbo graviter pressis & abstinendum est & aliquid nihilominùs ferendum; neque enim firmior valetudo iis expectanda est quàm pro morbi genio ipsiusque ægri ætate & constitutione. Cauto tamen parcoque victu, debito exercitio, cœlique varii injuriis prudenter vitatis, vita tolerabilis efficitur; præsertim si lenium catharticorum idoneâ frequentiâ adhibitorum usum prædictis adjungas.

Plantarum * seminibus vix quidquam inest salis crassioris & fixi, & teneris novisque germinibus perpusillum. Seminum à distillatione residuum nullâ ignis vi in calcem redigitur, nec aquam affusam sale im-

* Comp. Act. Phil. Soc. Reg. Angl. Vol. I. p. 661.

buit. Si quid igitur illis ſalis eſt, illud volatile eſt, ideoque tenue & ſubtile, faciléque perſpiratione ejicitur minúſque corporibus noſtris nocet. Tenerarum autem plantarum primum nutrimentum eſt ſeminis ſui longè maxima pars. Terra autem pro nido, ſolis calor pro incubatione eſt. Ea etiam ſalis portio quam poſtmodum è terrâ exſugunt, magnam partem in auras cum aqueis earum vaporibus abit, nec niſi adultarum fibris induratis & rigidioribus notabili aliqua quantitate hæret. Utique è lignearum tantum & ad ligni duritiem accedentium ſive ligneſcentium plantarum caulibus radicibuſque lixivia parantur. Et potûs non fermentati ſales ſi qui ſint, ita mollioribus plantarum ex quibus expreſſus aut decoctus eſt membranulis & fibrillis intertexti, irretiti & obvoluti ſunt, ut ſe expedire nequeant aut ad ſpiritus producendos conjungi aut animalium corporibus (niſi enormi copiâ adſint) nocere. Hinc fit ut victu ex ſolis ſeminibus plantiſque teneris necdùm adultis parato, potuque aquæ aut liquoris cujuſvis non fermentati (decocti purà hordei, infuſi theæ, coffeæ, glycyrrhizæ, aurantiorum, quorumvis denique ſeminum aut tenerarum plantarum) per paucas hebdomadas aut menſes continuato, dentes gingivis ſale ſcorbutico exeſis & cor-

ruptis jamjam excidere parati denuò figantur; fœdæque per cutem eruptiones & ulcera serpentia, cujusvis præterquam scrofulosi generis, nullis medicamentis sanabilia sanentur. Hinc præcipuum quoddam axioma est in ulceribus sanandis, ea ad vulneris conditionem & statum redigere; quo facto facilè ex se sanantur. Et ut aliàs docui, vix tenuem aut infirmum quemvis Britannum reperias, aut atrophiâ, hypochondriacâ aut hystericâ passione laborantem, cui non adsit scorbutica cachexia aut latens aut manifesta, cæterorum malorum parens; nisi morbis à scrofula ortis detentos excipias. Ex quibus omnibus colligas quantum rectè instituta victûs ratio, idonea corporis exercitatio, aliaque hoc tractatu recensita auxilia in plerisque diuturnis Britannorum morbis possit.

§. 5. Cum toties nervorum sive fibrarum debilium & remissarum mentio facta sit; non abs re erit externa aliquot & sensibus obvia signa indicare, quibus pro se quisque judicet an sibi fibræ infirmæ laxæque sint; ne id ex diuturno primùm morbo aut graviore aliquâ noxâ rescìscat, utque simul tempestivam his avertendis operam dare possit. Fibræ igitur minimæ, ex quibus majores componuintur, pellucida, solida, elastica filamenta sunt, vibrationis sive oscilla-

tionis capacia. Eæ quibusdam summè elasticæ sunt, & minimo quocunque impetu impulsæ promptè contremunt. Aliis magis rigent, nec nisi majore vi ictæ vibrant. Aliis denique tenues, debiles, laxæ, remissæ sunt, quæ etsi minimâ quavis vi tactæ facilè oscillent, æquâ tamen facilitate motum iis impressum amittunt; unde omnes illis omnium organorum functiones languent. De iis solis per totum hunc tractatum loquor. Sequentibus autem signis deprehenduntur:

Quibuscunque à naturâ pili molles, tenues, breves, dati sunt. Pili enim fibræ quædam elongatæ & extra cutem productæ videntur. Ad majorum certè fibrarum modum plurimis filamentis minoribus constant, solidis, pellucidis, elasticis, communi membranâ involutis. Fibrarum igitur pili specimen sunt: Qualesque hi visuntur, tales etiam illas esse rectè conjicimus sive robur spectes sive crassitiem.

2. Quibus albi pili sunt. Alba enim corpora rariora, porosa, & fungosa sunt, minoribusque quàm fusca aut obscurè rubentia particulis constant.

3. Quibus musculi & ossa exilia sunt. Illa enim si ex crassis robustisque fibris composita sint, crassa item & robusta; si ex tenuibus & exilibus, tenuia & exilia fore

magnâ cum probabilitate colligitur, cùm hoc non aliud ſit quàm, tota ad partes ex quibus componuntur certam habere rationem.

4. Quibus caro mollis eſt & tactui facilè cedens: cùm è contra firmior caro ex robuſtioribus ſe fibris conſtare oſtendat.

5. Quibus albus, pallidus aut cinereus eſt cutis color: nam floridus, rubicundus, vividus, fuſcus aut nigricans robuſtiorum eſt.

6. Corpulenti pingues, pituitoſi; quòd eorum fibræ nimiâ humiditate maceratæ reſolvantur: cùm ſiccis è contra & compactioris habitûs hominibus fibræ tenſiores ſunt & firmiores.

7. Qui evacuationibus quibuſcunque naturæ modum excedentibus frequentiùs obnoxii ſunt, ut diarrhœæ, urinæ aquoſæ profluvio, pituitæ per os aut nares fluxui, aut profuſo ſudori: imò qui unâ tantùm vice enormem hæmorrhagiam, violentiorem diarrhœam, febrimve periculoſam paſſi ſunt, & mulieres quibus ſolito longè pleniòr aut diuturnior menſtrua purgatio fuit: his omnibus aut infirmæ laxæque á primâ origine fibræ fuerunt, aut ipſis iſtis evacuationibus nimiis reſolutæ remiſſæque ſunt.

8. Qui frigus non facilè ferunt, qui frigus levi de cauſa ſuſcipiunt, hoc eſt, qui-

bus perſpiratio promptè impeditur, quibus denique extremi artus facilè frigent: Iſta enim omnia tardæ humorum circuitionis & interruptæ perſpirationis ſigna ſunt; quæ fibrarum, ex quibus canalium latera, & muſculi conſtructi ſunt, ſquamarumque quibus cuticula conſtat infirmam elaſticam vim oſtendunt.

§. 6. Recenſitis infirmarum fibrarum ſignis, monendas exiſtimo matronas earumque maritos, facilè eas quæ infirmis laxiſque fibris ſunt, levi quâcunque de causâ, niſi maximâ curâ ſibi caveant, abortire: quo magna illis poſterorum pars peribit (& magnus quidem indies ex illuſtriſſimis futurorum Britanniæ noſtræ incolarum numerus perit) & illæ ipſæ hydropi, atrophiæ, aut morbo horum utrovis graviori, perpetuæ nempe animi dejectioni, melancholiæ, aliiſque ex hyſtericâ paſſione ortis malis obnoxiæ, miſeram vitam tranſigent. Fœminas pleraſque natura tenues, molles, delicatulas formavit. Debitæ exercitationis defectu, lauto victu, nutricularum imprudentiâ, matrumque indulgentiâ, & hæreditariâ humorum acrimoniâ earum infirmitas & debilitas creſcit. Si quo autem caſu ſemel fœmina abortiat, prima hæc abortio alteri, ſecunda tertiæ viam ſternit; ita ut tandem confectæ neque vires neque animus, nec cibi

appetitus nec ejus concoquendi facultas supersit. Semel enim abortivisse vires magis frangit quàm bis peperisse. Hoc autem infortunium non ullâ meliùs ratione caveatur quàm si venienti occurratur morbo; aut si id infeliciter cesserit, danda saltem est opera ne eodem frequentiùs repetito miseræ vires penitùs frangantur.

Nonnunquam ipsius novæ nuptæ, adhucdum adolescentulæ, & puellarium morum amantioris, huc illuc incautiùs discurrentis incuriæ abortus debetur: sæpiùs tamen imperitæ obstetricis, aut imprudentis alicujus Chirurgi inconsultæ temeritati sanguinis missionem levi quâcunque de causâ suadentis, nullâ habitâ virium prægnantis ratione. Robustis quidem & sanguine plenis venæ sectio sæpè proderit: Tenuibus infirmarumque fibrarum fœminis nihil certè nocentius, nec ulla est promptior abortiendi causa. Venæ enim sectione non certiùs sanguinis copia minuitur quàm fibræ relaxantur.

Nullam ego unquam methodum sequente efficaciorem abortui præcavendo observavi: Ut scilicet prægnantibus pro omni potu sit aqua è fonte D. Vincentii Bristoliensi vini cujusvis rubri austeri pauxillo temperata. Ut renum regioni applicetur emplastrum ad herniam additâ olei cinnamomi & Laudani Londinensis modicâ quanti-

state. Ut victu tenui, levi, facilè concoquendo utantur, è lacte præcipuè & vegetabilibus farinaceis parato. Ut diaſcordio & rhabarbaro torrefacto earum inteſtina, ſi nimis lubrica ſint, roborentur. Ut lecticâ geſtatæ aut rhedâ vectæ ſemel aut bis de die aërem ſerenum captent. Ut denique, quibuſcunque modis fieri poſſit, hilares alacreſque conſerventur. Iſta methodus rariſſimè fallet; niſi ſcrofula aut hæreditaria aliqua alia adſit humorum prægnantis acrimonia, abortûs cauſa difficillimè ſananda.

§. 7. Valetudinariis & fibrarum infirmitate debilibus ſanitatis tuendæ cupidis variarum anni tempeſtatum ratio habenda eſt. * Aliàs monui infirmis quotannis languendi & in pejus vergendi initia fieri circa brumæ aut nativitatis Chriſti tempus, ex quo pejore uſque & pejore loco eorum res ſunt ad veris extremum; cum creſcente calore creſcere etiam eorum vires uſque dum mediâ aut extremâ æſtate ad ſummum pervenerint; perdurare autem quamdiu eas ſolis amicus calor fovet, & donec quod acquiſiverant firmitudinis ingruente frigore pereat. Alii his adhuc infirmiores maturiùs fatiſcunt, circa ipſa nempe æquinoctii autumnalis tempora. Maturiùs etiam erigun-

* Tract. de Arthrit. §. 80.

tur; quòd eorum infirmiores fibræ cuivis cauſæ mutanti minùs contranitantur. Novo ſole denuò fermenteſcunt, rarefiunt & attenuantur viſcidi infirmorum humores: quo fit ut liberiore & pleniore circuitione omnes, etiam minimos, corporis canales ſubeant, perſpiratio promoveatur & augeatur, fibrarumque onere ſuo levatarum vividiores ſint vibrationes; unde illis appetitus viget & concoquendi vis creſcit: Ad quæ efficienda cum ſolis calore concurrunt aër ſerenus & corporis exercitatio nunc commodiùs obeunda.

Quare qui præ infirmitate ſuâ ſic ſe affici ſentiunt, monitos velim ut naturam ducem ſequuti eo victu utantur quem quæque anni tempeſtas porrigit, utpote, naturâ indice, commodiſſimum.

Primo vere ſpinachia, aſparagus nobis dictus, ſummaque novarum herbarum cacumina aſparagi veteribus dicti veſca præſto ſunt: lac item & ova ſuppetunt. Ex his ſuadeo eo tempore majorem nutrimenti ſui partem parent.

Progrediente vere agnina & vitulina caro, piſa tenera & herbæ acetariis aptæ abundant.

Æſtate incipiente, gallinarum vulgarium & indicarum pullis, cuniculis & fructibus præcocibus veſci licet.

Media æſtas perdices, caules, cinaras; autumnus rapa, paſtinacam utramque, carnemque bubulam & ferinam (hoc, ſi ullo, tempore edendam) adfert.

Experientia oſtendet infirmorum vim coctricem indies augeri, prout anni tempeſtates duriora & difficilioris digeſtionis nutrimenta miniſtrant. Tempeſtates dico, non quibus & plantæ & animalia in Londini aut majoris cujuſvis urbis viciniâ emptorum luxu & venditorum aviditate provenire coguntur; ſed quibus naturæ inſtituto, vulgari culturâ, cœlique & ſoli genio ſponte & copiosè proveniunt. Hoc autem eſt quod præcipuè urgeo & perſuadere cupio infirmis, eorum intereſſe ut naturæ ductum ſecuti, id ſibi nutrimenti genus deligant quod anni tempeſtas pleniùs ſuppeditat, eamque ſibi quantitatem dimetiantur quam eorum vires tempeſtatibus reſpondentes ſuadent. Hæc ſi fiant, per totum anni decurſum, ſanitatis iis æquilibrium quoddam conſervabitur, aut ab eo non longè diſcedetur: Languente ſcilicet vi coctrice, fibriſque remiſſis, nutrimentum & facilè concoquendum & parvâ quantitate aſſumant: nec, niſi iiſdem creſcentibus, difficilioris coctionis cibo aut majore ejus quantitate utantur. Adde quòd ſicut hyems exercitationi domeſticæ convenit, ita æſtas campeſtri aptior eſt;

quæ cùm advenerit, infirmis sub dio corpora pleniùs exercenda sunt; quo fiet ut vires illis augeantur & firmior valetudo crescat; improbi enim laboris omnia vincentis commoda quis dignè scripserit!

§. 8. Germanis inter sanitatis conservandæ præcepta est, hyberna prudentibus vestimenta maturè (exeunte scilicet autumno) sumenda esse, serò autem, nec nisi adulto jam vere, deponenda. Quo significatur, benè valere cupientem, decere etiam bene vestitum incedere. Quod fortasse strenuis potoribus, quibus ideo liberè sudorem fluere commodum est, non malè suadetur: sobriis autem contraque cœli varii injurias se munire cupientibus omninò adsuescendum est ut quàm fieri potest tenuissimè vestiti & æstatem transigant & ipsam etiam hyemem. Ut taceam magnam felicitatis partem esse, quàm paucissimis indigere: hoc saltem attentâ consideratione dignum est, multis magnique ponderis vestimentis perspirationem nimiùm quantùm augeri, fibras debilitari & teneras fieri, viresque frangi; quod Keillius noster in libello suo de *Medicinâ staticâ Britannicâ* clarè ostendit.

Tenuis imprimis panni lanei, nomine à * lanulâ deformato nostratibus noti, indusio qui se fovent, continuam sibi sudatio-

* Flanel.

nem, morbum profectò diabetæ nec absimilem nec minùs ferè gravem, accersunt: sudationem autem perpetuam, qui perspirationi liberæ plenæque conservandæ studet non magis sibi optaverit, quàm diarrhœam qui astrictam alvum fugit. Utraque verò æquâ curâ infirmis vitanda cavendaque est, & diarrhœa scilicet quâ intestinorum, & nimia sudatio quâ cutis omniumque minimorum vasculorum fibræ remollitæ & maceratæ resolvuntur. Ex eo autem quòd lanulâ istâ fotis perpetuò cutis madeat ipseque pannulus citissimè inquinetur, satis patet nimiam per cutis poros materiam excerni; quod, cùm præ nimio quo corpus quasi elixatur calore, tùm propter continuam cuticulæ à laneis panni villis frictionem fieri verisimile est.

Qui potu spirituoso se ingurgitavit, si noxia humoris copia quoquo modo è corpore ejiciatur, benè profecto cum illo actum est; sudare etenim præstat quàm febri ardere. Sed valetudinariis, infirmis, interimque sobriis quantò firmiores & constrictiores sunt omnium excretionum ductuum fibræ (nisi nimiâ constrictione obstruantur) tantò melius est, tantóque fortiùs noxis externis obniti poterunt. Sola superflua ingestorum, sive cibi sive potûs, copia sudationis præsidio & levamine eget. Hâc de causâ Ger-

manis, (multùm tenuis ſubtiliſque & facilè viam ſibi per minimos quoſque meatus aperientis vini bibentibus, quo per cutem ſudoris ſpecie percolato nihil ab eo ampliùs periculi imminet) tantopere placet ſudatio ut * Tſchirnhauſius, doctus alioqui & ingenioſus vir, omnium fere morborum curam in ſudationem reſolvat, cujus ſcilicet inſignem obſervaverat efficaciam in prævertendis febribus ex ebrietate orituris, aut jam ortis profligandis. Sed inſulæ noſtræ incolæ, quibus propter infirmitatem ſuam aut ſanitatis tuendæ causâ ſobrietas placet, quanto tenuiùs de die veſtiti incedant, quantoque levioribus ſtragulis noctu cooperti decumbant, & æſtatis & hyemis tempore, tanto etiam firmiores fient. Quantóque magis totum corpus aëri, ſi modò benigno, patuerit; tantò fluidiores erunt humores officiiſque ſuis obeundis aptiores: unde perſpiratio libera plenaque, nec tamen nimia erit. Aër rectè conſtitutus animalium humoribus multum prodeſt, & medicamenti loco eſt: cùm multiplicis, è contra, veſtitûs grave onus excretæ è corporibus noſtris, nec ultrà utilis, materiæ atmoſphærâ quâdam condenſatâ nos ſtipet, ſalubriſque aëris benignam efficaciam intercipiat. Si quis verò frigoris mala timeat; is ſciat, ſobriis

* Medicina ment. & corp.

(si modò nitrosum, gelidum, humidumque acrem vitent; solo enim hujusmodi aëre humores nostri coagulantur aut lentescunt, qui gravis frigoris suscepti effectus sunt) de frigore suscipiendo parùm solicitos esse debere, quod nec temerè ab iis suscipitur, & susceptum facilè profligatur. Nec sobrii ferè gravia mala ex mero frigore patiuntur, nisi extremum id fuerit, aut diutissimè supraque omnem modum actionem ejus sustinuerint.

§. 9. Non contemnendum infirmis & sedentariis sanitatis instrumentum est, frequenter barbam & capillos demetere, pedum plantas scalpere & ungues resecare. Maximum ad oculos, aures, totumque caput redundans ex frequenti capillorum tonsurâ & quotidianâ capitis in frigidam, paucis compositi Spiritûs Lavendulæ aut aquæ Hungaricæ guttis mistam, immersione commodum (ut de voluptate taceam) soli experti nôrunt. Caput detonsis capillis radere, præsentaneum ferè remedium est cephalalgiæ, gravedinis, oculorum infirmitatis à fibrarum præcipuè nervearum remissione ortæ. Utque quovis exitu humorum evacuationi aperto non tantùm eorum tota quantitas minuitur, sed quod ab illis rejiciendum est eò præcipuè derivatur, quamdiu ejus motui faves; quò frequentiùs capillos rescindis, tantò uberiùs proveniunt; ita ut

frequens barbæ capitiſque tonſura ſuperioribus corporis partibus inſtar fonticuli aut perpetui veſicatorii ſit. Ex eo autem quòd capitis cutis aquâ tepidâ & ſapone frequenter abluatur, deinde novaculæ quaſi ſtrigilis cujuſdam acie radatur, aliud etiam commodum naſcitur: ductuum nempe perſpirabilis materiæ oſcula à porrigine & furfure illa obſtruente mundantur, quo eidem materiæ, quæ retenta capiti ipſique etiam cerebro gravis futura erat, liber exitus aperitur: capite deinde in frigidam immerſo & eâdem diligenter abluto, cuticulæ ſquamulæ ne turpiter hient nimiſque copioſum perſpirabilis materiæ egreſſum patiantur, utque obſtructioni ejuſdem à frigore externo (gravi infirmis malo) validiùs renitantur, arctè conſtringuntur. Quare omnibus infirmis auctor ſum ut ſingulis alterniſve diebus, ſaltem quoties commodè poſſunt, capillos barbamque ferro reſecent, deinde caput frigidâ proluant.

Quod tonſura ſuperioribus corporis partibus, id inferioribus præſtat plantas pedis ſcalpſiſſe & ungues reſecuiſſe. Pedum plantæ cùm titillationis impatientiſſimæ ſint; exinde patet quanta nervinarum fibrillarum multitudo illuc pertingat. Illæ ſtando & ambulando preſſæ occalleſcunt, cutiſque denſatur & induratur; quare perſpiratio ob-

ſtruitur humorumque in illas vitalium derivatio impeditur. Notiſſimum autem eſt nullum aliud manifeſtius eſſe integræ vegetæque ſanitatis ſignum quàm blandum pedum colorem, liberamque per eos perſpirationem: plenum enim nec impeditum humorum per minimos & à caloris motûſque fonte corde remotiſſimos canales circuitum, quæ ipſa ſanitas eſt, monſtrat. Infirmis, è contrà, crura pedeſque perpetuò frigent, iiſque primùm in locis gelidi aëris ſpiculis perfodiuntur. Infirmi igitur frequenter, ſingulis ad minimum hebdomadis, pedes aquâ tepidâ foveant, plantas ſcalpant fricentque, & ungues reſecent. Quo, præter ſupra recenſita commoda, fiet ut neque duriores calli clavique ſucereſcant, neque vægrandes ungues in digitorum carnem devii ſe inſerant.

Frivola hæc & minoris forſan ad ſanitatem momenti quibuſdam videbuntur. Sed quod de re longè graviore dictum eſt, de hâc etiam verum reperietur: qui nempe minutias ſpernit pedetentim quidem illum & paulatim, ſed tamen, peſſum iturum.

§. 10. Infirmis & valetudinariis legendo & ſcribendo multùm occupatis, ſive literarum ſtudio ſive negotiorum causâ, erecto quantum licet corpus ſitu tenendum eſt, caputque & pectus quamminimè inclinan-

dum, & pluteo tantùm innitendum eſt leniter declivi. Iſto illi ſitu quamdiu poſſunt ſe detineant, fatigati paulùm deambulent aut diſcumbant; deinde opus repetant. Uſu autem & aſſuetudine fiet ut minime moleſtus ſit, præcipuè ſi à primis annis ei aſſueverint. Vix interim credi poteſt quantum ſanitati conferat. Sedendo enim, corpuſque incurvando multa vaſcula comprimuntur, ſanguiniſque & humorum per ea circuitus impeditur, dum per alia interim patentiora liberiùs peragitur. Hinc ille diutiuſculè deſidentibus crurum ſtupor, non niſi deambulatione aut alio quo motu pellendus, quo ſcilicet liber humoribus per ea circuitus aperitur. Hinc etiam inæqualis & ſubſultim factus humorum circuitus & inæqualis in glandulis ſecretio, inæqualis partium incrementi & roboris cauſa; eadem nempe quæ pueris rachitidem gignit, incuriâ nutricum, liberum illis & æqualem humorum circuitum geſtatione, cunarum agitatione, aliiſque exercitiis promovere ceſſantium. Hâc forte ratione inducti Romani & Orientalium regionum incolæ inter cœnandum, & ubicunque uno ſitu diu illis manendum fuit, reclinato in latus toto corpore diſcumbebant. Scribentibus & legentibus, cùm more noſtro ſedent, pectus & ventriculus perpetuò comprimuntur: quo fit ut harum partium

tium functiones, concoctio putà & respiratio, debilitentur. Et verò istarum partium morbis scribæ plerumque obnoxii reperiuntur. Præterea, capite multùm demisso, humorum per illud circuitio impeditur, nimiaque fit eorundem intra cranium coacervatio; unde animi dejectio, fortasse & tabes. Hæc autem incommoda erecto situ magnam partem vitantur. Is enim maximè naturalis est. Stantibus item, cùm penitùs immoti non perstent, aliquammultorum musculorum sanguinis canales alternis comprimentium actione, humorum circuitio promovetur: quorum etiam ad inferiores partes à motûs calorisque fonte remotissimas descensui, quò eæ foveantur, ipsa eorundem gravitas, dùm statur, favet; quod non minimi ad sanitatem momenti est. Crassiorum item recrementorum evacuatio promovebitur, partesque superiores puræ & serenæ conservabuntur. Hæc & sanitati & longævitati conducent. Dictantibus etiam & consulentibus, sivè Medicis sive Jurisconsultis, stare aut deambulare prodest: ista enim & animo & corpori sunt solamini.

§. 11. Pinguibus nimiâque corporis mole gravatis, eòque ad motum ignavis, præter suprà traditarum regularum observationem, suadeo ut quantùm fieri potest ab

omni cujusvis generis potu præcipuèque valentiore, abstineant. Nihil quidquam usquam excogitatum est aut excogitari potest hujusmodi hominum vitæ conservandæ & prolongandæ efficacius pervicaci ab omni omnis generis potu abstinentiâ. Si tam verum sit quàm est vero simile solidas cùm plantarum tùm animalium partes omnes non aliud esse quàm tubos canalesque eorum seminibus conclusos omnesque simul & eodem tempore primitùs formatos: Incrementum molis erit eorundem canalium explicatio, distensio & repletio, quæ humoribus efficitur ex nutrimento ingesto genitis. Ex Kircheri autem & Domini Woodward experimentis notum est plantas ad insignem molem solâ aquâ augeri. Duo ejusdem fœturæ porcelli æqualibus lactis quantitatibus pasti sunt, hoc tantùm discrimine quòd alteri lac merum, alteri æquâ aquæ portione admistum exhibitum est. Mense uno transacto uterque jugulatus est; & ille cujus lacti aqua addita est, altero longè major & pinguior inventus est. Hydropis, saltem anasarcæ, curationem pertinaci ab omni potu abstinentiâ aliquoties peractam fuisse accepimus. Et lethargus à cerebri humiditate nimiâ oritur. His autem duobus præcipuè morbis obesiores obnoxii sunt. Quare illis potus vitandus est ut hydrophobiâ correptis.

vitatur. Quod facilè efficient si juniorum tantùm aminalium carnibus & humectante & refrigerante è plantis nutrimento vescantur. Plantas autem non crudas, sed igne coctas usurpari suppono, & hîc & ubicunque victum ex iis paratum suadeo.

§. 12. Senibus decrepitis vitæque termino propioribus, si extrema ejus tempora dolore quantùm fieri potest immunia placidè transigere cupiant; duorum præceptorum observationem suadeo. Quorum primum est, ut quàm maximâ diligentiâ ab inclementis cœli incommodis sibi caveant. Illis quippe sanguis effœtus, frigidus & viscidus est, concoctio debilis, perspiratio pauca & ferè nulla. Unde vel minimâ cœli inclementiâ læduntur. Quare nubilo aut frigido aëre, aut vento validiùs flante illi domi se contineant & luculento foco assideant. Non enim illis firmæ valetudinis incrementum expectandum est. Satis est doloris expertibus esse, & flammam iis vitalem nec præmaturè aut fortuito casu extingui, & lucidam claramque, quamdiu ardet, ardere. Exercitio quidem superfluum nutrimentum è corpore ejicitur. At senibus potior cura esse debet nihil superflui ingerere. Minimum enim, si ingeratur, in exercitatione spei positum est senibus, quibus nempe ut ossa lapideam ferè duritiem, sic cartilagines

& tendines oſſeam, muſculi omneſque fibræ tendineam quandam rigiditatem induunt, vimque elaſticam penè totam amittunt, & fragile exuccumque corpus pulveri, pulvis jamjam futurus, propius eſt & ſimilius. Quo fit ut nec decrepiti ſenes exercitiis obeundis pares ſint, nec, ſi obire poſſent, quidquam proficerent. Illis igitur ſufficiet ſereno aëre & ſplendente ſole ejus jubare ſe fovere æſtiviſque caloribus ſe refocillare. Aut ſi cornicis annoſam ſenectutem cupiant, regionem aliquam patriâ ſuâ ardentiore ſole calentem petant.

Alterum præceptum decrepitis ſenibus obſervandum eſt, ut creſcente ſenio & paulatim labantibus eorum viribus, victum etiam ſenſim parciorem & tenuiorem adhibeant, & viribus eorum coctricibus aliquantò inferiorem; nec expectandum ſibi putent donec ipsâ neceſſitate viriumque imbecillitate cogantur id jam fruſtra nulloque ſuo commodo facere quod paulò priùs factum multùm eorum ſanitati erat profuturum. Inſigniter enim iſta indies creſcens temperantia conducit ad viridem crudamque ſenectam & dolore vacuam aſſequendam. Eâ Cornarus annos ſuos ultra centeſimum produxit, animique ſui facultates quaſi integras conſervavit. Eo uſque autem ille abſtinentiæ proceſſit ut tandem, referente vitæ

ejus ſcriptore, totum triduum unius ovi vitello victitaret. Non ego iſtud ut exemplar imitandum propono, neque id mihi ſumo ut cuiquam quo tempore, quoties & quantùm victus ejus ſolitus minuendus ſit præſcribam. Hujus tamen rei eos memores eſſe decere puto: ut ſcilicet decrepiti repueraſcunt, ſi concoctionis vires ſpectes; ita illis ſubinde aliquid de nutrimenti quantitate eâque ejus firmitudine & robore propter quod difficiliùs digeritur, detrahendum eſſe, ut pueris identidem aliquid additur. Cùm enim fibrarum iis facultas elaſtica perierit & vis coctrix imminuta ſit, parùm perſpirent, minimumque eorum corporibus decedat; ſupplementum etiam ejus quod deteritur, ut ne vitalis flammula extinguatur, minimumque illud quod ſupereſt virium ne penitùs obruatur, minimum eſſe convenit. Hujus præcepti neglectui rheuma, catarrhus, ructus, coli dolores, imminuta aut peſſundata memoriæ tenacitas, & hebetatum ſenſuum acumen, reliquaque ferè decrepitæ ſenectutis mala maximam partem debentur: quibus, tempeſtivè & prudenter diminuto victu, occurri potuit, ſi non omnibus, at ſaltem pleriſque & gravioribus.

§. 13. Valetudinariis & infirmis diuturnis morbis laborantibus nullus damnoſior

est error quàm cùm vanâ se lactant spe promptæ citæque medelæ aut vel repentini levaminis. Eâ enim frustrati inconstantes plerique & leves homines; ægréque ferentes cohiberi appetitus suos; aut de se & salute suâ desperantes, vincula rumpunt liberéque sibi ea omnia permittunt, quibus morbus vel genitus fuit vel novas vires acquisivit; aut aliis atque aliis Medicis consultis, eorumque nullo promptam quam soliciti quærunt medelam spondente, circumforanei tandem alicujus empirici ingentibus promissis decepti vanam suam credulitatem & vitâ & nummis luunt. Mirandum sanè est homines ratione præditos rem ita rationi adversam sibi promittere posse, ut morbus qui ex viginti fortè annorum continuatâ intemperantiâ aut incauto saltem victu crevit, vel quem à parentibus hauserint, ipsi corporis quasi stamini intertextum, quâcunque methodo aut medicamentis exiguo tempore possit sanari.

Si cui res familiaris angustior sit, quæque necessariis tantùm vitæ usibus sufficiat; ille autem, quasi in re lautâ foret, splendidè aliquot annos vivens tantùm non decoxerit, tandem verò pœnitentiâ ductus de fortunis suis instaurandis cogitet: mentenè sanum putemus si paucorum aliquot mensium vel & annorum parsimoniâ, quan-

quam & operam suam quotidianam mercede locet, res suas in integrum restituere speret? Næ, parcendum illi erit, & laborandum in complures annos, idque pro ratione prioris profusionis & præsentis parsimoniæ. Si nempe prius non omninò intemperanter prodegerit, nunc autem parcissime vivat, pœnæ tempora multùm contrahet; & si maturè occupaverit, damna sua resarciet. Si verò laboris & parsimoniæ eum tæduerit, omninò illi pereundum erit: sine his enim non quidquam proficiet. Hujus prodigalitati respondet intemperantia & incautus victus, parsimoniæ & labori abstinentia & corporis exercitatio: Quæ diuturno morbo laboranti per longius aut brevius tempus continuanda sunt pro ratione prioris ejus luxûs majoris aut minoris diutiùsque aut breviùs continuati.

Longos plerosque morbos ostendimus ex humorum vitio & fibrarum solidarum debilitate nasci. Ventriculi autem & intestinorum vitium hos aut genuit aut saltem comitatur. Pone morbum genitum esse cachexiam scorbuticam, quæ se prodat pustulis ichore manantibus, aut tuberculis maculisque cutis flavescentibus aut liventibus, crasso, viscido & rheumaticorum simili, sanguine, hepatis oppilatione, perpetuâque bilis exundatione, animi dejectione, prostrato appe-

titu & digeſtionis imbecillitate, hincque natâ atrophiâ, laſſitudine, anxietate, aliiſque ſignis; quæ luxurioſis, quanquam à nativitate robuſtis, vegetiſque ſæpenumerò accidere vidi. Nullâ ego ope hunc morbum ſanari poſſe puto, niſi lenibus vomitoriis & catharticis ſtomachicis identidem repetitis prout bilis aut pituitæ nova ſeges ſuccreverit, (diuturnitate autem temporis pro bile priùs evomi ſolitâ pituita ſe offert, quæ non aliud eſt quàm bilis dilutior ſive quæ ſolius ſeri eſt, ut bilis morbida è ventriculo rejecta totius ſanguinis eſt recrementum. Cùmque bilis in pituitam mutata eſt, magna curationis pars eſt peracta, alterâ jam ſanguinis parte purgatâ & hepate pervio facto.) Medicamentis amaricantibus, aromaticis, & è ferro paratis, prudenter, cautéque, & prout ægri vires ſinunt, adhibitis, & ſubinde mutatis (cùm ſcilicet unius alicujus diuturniore uſu ejus efficacia minùs ſentitur, alio in ejus locum ſubſtituto) aquis chalybeatis & mineralibus variorum generum, jugi corporis exercitio, victu refrigerante, parco, tenui, idoneoque ejus regimine, cui conſtanter, imò pervicaciter, aliquamdiu inhærendum eſt. Ægri profectò frequentes erunt querelæ. Quid, inquiet, nunquamne finis erit vomendi, equitandi, amaraque medicamenta devorandi? A vomitione præ-

ſens tantùm levamen ſentio cùm perfectam medelam expectarem; at mihi è contrà malum brevi recrudeſcit, & poſt aliquot jam menſes eodem quo priùs loco meæ videntur res eſſe. Alii deinde atque alii Medici conſuluntur; quorum ſingulis, ſi, ut probos viros decet, eadem præſcribant, eâdem etiam de causâ valedicitur; ſi autem propior eos lucelli ſui quàm ægri cura tangat, ægro obſequuntur, proque juvantibus lædentia, aut ſaltem quæ nullius ſint in utramvis partem momenti, præſcribunt. Et cum Medicorum totum agmen percurrerunt, agyrtarum tandem ſe fraudibus illaqueari ſinunt. Craſſiores certè & viſcidiores humorum partes cùm ſemel per eas glandulas ſpongiæ ritu laxas fluere cœperint, per eundem ſemper alveum fluere pergent, quamdiu aliqua earum portio ejicienda reſtat. Quare ex eo quod ſemel vomueris iterum tibi vomendum eſt. Nec aliter quidem fieri poteſt quamdiu materiæ morbi quidquam ſupereſt. Ex diminutâ tamen materiæ vomitu rejectæ quantitate minúſque frequenti vomendi neceſſitate, tanquam certiſſimo ſigno, inclinati morbi indicia ſumuntur. Iſta clarè illuſtrantur exemplo dolii oleo & aquâ confuſis pleni: è quo facilè oleum, omiſſâ aquâ, haurias, ſi quod in ſummo natat eximas, & ſubinde prout alia atque alia ejus portio emerſerit illam

etiam atque illam auferas. Emerget autem quamdiu quidquam aquæ commistum superest: à quâ ut se expediat, si satis illi temporis concedas, oleum tandem totum, superstite aquâ, exemeris. Idem etiam in diuturnorum morborum curatione faciendum. Nunquam enim quidquam eximium aut majoris momenti perfectum est absque diutinâ patientiâ optimorumque mediorum ad finem propositum assequendum conferentium constanti usu. Natura non subitò & subsultim opera sua perficit, sed constanti tenore & uniformiter simul & strenuè progreditur: ipsa autem natura est quæ Medici munere verè fungitur; Ars enim, ejus ministra, obstaculis amovendis, æstibus moderandis, naturâque quò ipsa tendit quasi manu ducendâ occupatur. Diuturnos igitur morbos solum tempus omnium edax rerum, exedit absumitque.

§. 14. Cum autem dolores nobis nonnunquam intensissimi & intolerandi omnique vel patientissimâ fortitudine superiores oboriantur; Divinâ clementiâ datum est nobis mirandum planè & penè divinum dolorum lenimen; cujus miras virtutes maximamque Dei, id nostræ miseriæ levamen indulgentis, benignitatem illi soli dignè celebrabunt, qui inter acerbissimos cruciatus ineffabilem ejus in doloribus leniendis vim

experti ſunt. Opium dico, aut ex opio ſoluto paratum laudanum, quod prudenter adhibitum doloris omnis vel acerbiſſimi certiſſimum & repentinum remedium invenitur. Quâ autem ratione id præſtet ex ſupradictis non difficulter colligitur. Dolore animalium fibras plus æquo criſpari, contrahi & intendi; voluptate è contra remitti & relaxari ab eâ nimiâ intenſione extra omne dubium eſt. Fibras reſciſſas utrinque ſe recipere & contrahere aſpicimus. Omne cauſticorum genus, ab acidis & ſtypticis uſque ad ferrum candens eas criſpant & corrugant. Omnis dolor internus, violentus & intenſus in ſpaſmos & convulſiones deſinit; ut omnis continuata & luxurioſa voluptas in paralyſin. Primo autem in caſu omnes nôrunt fibras affectas validè contrahi; in ſecundo plurimùm remitti. In tumoribus & inflammationibus mollia, oleoſa, lenia cutem tenſam & contractam relaxant, doloremque leniunt, leniſque & mollis frictio temporarium levamen dat. Cùm verò cauſatum conſtantium & manentium totalis & ultimus effectus determinatæ cujuſdam naturæ eſt, rationi congruum eſt cenſere particulares quaſvis earundem cauſarum actiones congruæ naturæ effectus producere. Quo autem mechaniſmo voluptas & dolor hos effectus producant non facile eſt expli-

catu. Eſt forte in animalium fibris regularis quædam & ordinata partium poſitio, ei quæ pectinis nomine in vegetabilibus & mineralibus cernitur; ſecundum cujus ductum cùm corpora quævis agunt, fieri poteſt ut earum partibus commenſuratam aut harmonicam, integram aut totalem vibrationem aut undulationem impertiantur, in quâ fortè voluptas conſiſtit: Si verò contra hujus ductum & directionem agant, fibræ faciliùs rumpuntur, earumque partes divelluntur; unde ex his disjunctis & interruptis vibrationum ſuccuſſibus dolor creari poteſt. Et videmus fibras animales, cùm in eas adigitur cuneus aut multi cuneoli (ut cùm fides aut carnis muſcularis fruſtulum ſalſugine aut lixivio maceratur) rigidas, tenſas & duras fieri: cùm è contrà oleo aut molli aliquo lacteo liquore macerantur, molleſcere, uveſcere & laxari. Utque corpuſcula dolorem creantia certè dura & cuſpidata ſive acuminata ſunt; voluptatem è contra excitantia rotunda fortè ſunt, læviaque & flexilia. Et ut priora ſe in fibram fortè animalem inſinuare poſſunt ejuſque partes in arctiorem & propiorem contactum adigere, propterea quod illius ſpatii aliquod occupent, quo fibræ partes priùs continebantur: Ita poſteriora ſecundum naturalem ejus directionem ſe volutando ejuſque partes leni-

ter comprimendo & quaſi mulgendo, partium contactum fieri poteſt ut ſenſim diſſolvant: Uti reipsâ cernimus pilum ſæpiùs ſecundum longitudinem extenſum vim ſuam elaſticam deperdere, & juncum aut ſtipulam ſæpè validéque ſecundum fibrarum ſuarum ductum diſtrictam & quaſi mulgendo tractam, debilem, flexilemque fieri, licet priùs rigentem. Et voluptas quidem fibris nervorum non niſi continuo earundem uſu & frequenti actione ultimam iſtam & totalem relaxationem inducit. Ingrata enim doloris perceptio nos à corporum illum excitantium commercio deterret: Cùm voluptatis è contrà lenocinio ducamur, ut modos eum producendi ejuſque actus ita frequenter repetendi ut in dolorem tandem finiatur, inquiramus. Satis ſcio horum à corporibus productorum effectuum cauſas faciliùs modoque obvio reddi poſſe ex internis corporum proprietatibus, variis nempe eorundem inter ſe attractionibus diverſiſque earum gradibus & legibus: Sed cùm iſta æquè ignota ſint ac actiones à diverſis corporum figuris & motibus ortæ; placuit utrâque hypotheſi uti. Lectori verò liberum eſt utramvis amplecti; cùm utraque non aliud ſit quàm phantaſiæ luſus, uſquedum experimenta de rei veritate decernant, nihilque in toto hoc negotio certi ſit præter unum

iſtud, dolore animalium fibras contrahi, voluptate remitti & laxari. In primis quidem & particularibus harum perceptionum actibus fluidorum actiones & motus concurrunt, & varietatem forte aliquam parere poterunt durantibus particularibus illis actibus, ſaltem voluptatis: Sed hunc eſſe ultimum & totalem eorundem effectum certum eſt. Cùm itaque dolorem fibras animales criſpare, conſtringere & contrahere conſtet, opiumque debitâ quantitate exhibitum certiſſimè dolorem leniat; non video quò potiùs modo id efficiat quàm fibras tantundem, aut paullò tantùm minùs relaxando & remittendo quantùm dolore intenſæ & contractæ fuerant. Ita autem rem ſe habere ex multis opiatorum medicamentorum effectibus colligitur. Imprimis enim, nullum medicamentum opio certiùs aut efficaciùs diaphoreſin promovet, nihil profuſiorem ſudorem excitat, præcipuè ſi volatilia admiſceantur, & liquoris tenuis & tepidi copioſo potu ejus vires juventur. Hæc autem non aliter efficit quàm cutis & glandularum perſpiratoriarum fibras laxando. Deinde, nihil æquè appetitum proſternit primaſque digeſtiones debilitat, ac frequentior opiatorum uſus: Ita ut pleriſque ſi pleniore copiâ exhibeantur nauſeam creent & appetitus proſtrationem, eo uſque duraturas do-

nec medicamenti vis cessaverit. Ista & ventriculi & intestinorum relaxatorum perpetua symptomata sunt. Tertio, nihil æque eruptionem variolarum, catameniorum & lochiorum fluxum, calculique imò & fœtûs expulsionem promovet, ac medicamenta opiata: ita ut in difficili partu ea hodie Medicorum obstetricantium ultimum sint perfugium, & volatilibus commista parturientibus etiam imbecillis validissimos vegetissimosque nisus excitent. Quos effectus solâ fibrarum, quas dolor ita intenderat ut elasticam quodammodo vim amiserant, relaxatione producit. Denique, nullum adeo subitum certumque remedium hystericarum & quibusvis spasmis reperitur ac opium. Spasmos autem fibrarum muscularium violentis contractionibus & corrugationibus deberi nemo est qui nesciat. Ista omnia aliaque multa opiata præstant eas fibras remittendo & laxando quas violentus & acutus dolor constrixerat & contraxerat, cumque cruciatibus inducias quasi paciscendo ut naturæ (vero Medico) opus suum obire liceat. Opium autem hypercatharsin aut diarrhœam sanare videtur, humores in intestinis aqueos & acres per cutem eliminando (opium enim perspirationem validè promovet) spasmos item, convulsiones, & vellicationes à nimiâ purgantium vi excita-

tas leniendo, & violenter stimulatum intestinorum motum peristalticum quo eorum contenta extruduntur sedando.

§. 15. Dum hygieinen tracto non est mihi animus therapeutica præcepta tradere. Quare nec quibus morbis, quâve quantitate exhibita, medicamenta opiata conveniant, docendum suscipio. Hoc tantùm, in genere, monendum puto, in omni dolore acutissimo & intolerabili, ubi convulsionis, febris aut inflammationis periculum imminet, post præmissas universales evacuationes (quæ nempe per venæ sectionem, vesicatoria, cucurbitas, cathartica & clysteres fiunt, hæc aut illa prout morbus fert aut postulat) opiata & tutò exhiberi & certissimum levamen adferre. Si vomitio morbum comitetur, præstat opium solidâ formâ exhibitum; quia, cùm minoris molis sit, non ita facilè regeritur. Si vomitio non adsit & præsentissimum levamen quæritur, præstat laudanum: citissimè enim per corporis habitum diffunditur propter fluiditatem suam: Et, cùm spirituosum habeat vehiculum, finem suum citiùs assequitur, dejectas vires plùs reficit, citiùsque & altiùs penetrat. In plerisque casibus vinum pro vehiculo sufficit; quòd opium vino optimè solvatur ut fiat laudanum. Quatuor autem in casibus utilissimum, imò omninò necessarium est opium:

in coli nempe doloribus; calculo; mulierum partu difficili, lochiisque & catameniis segniter procedentibus, præcipuè si dolor adsit, ut adesse solet; in arthritide demum & rheumatismo. In quorum primo cum opio simul exhibendum est catharticum aliquod stomachicum, ut elixir salutis, tinctura hieræ picræ cum syrupo rhamni cathartici, aut, si teneriora sint ægri intestina, cum tincturâ rhabarbari, præsertim si dolor inferiora tantùm intestina afficiat, nec vomitio adsit; quo in casu vomitus arte priùs excitandus est, nisi id circumstantiarum aliqua prohibeat. In calculi doloribus cum oleo amygdalarum dulcium aut leniente aliquâ emulsione, quæ partes affectas lubricet, est exhibendum. In posterioribus duobus casibus opio jungi debent idonea volatilia, antihysterica & attenuantia. Cùm dolor acutus est & vehemens, majore primùm quantitate dandum est, sive laudanum à triginta usque ad quadraginta & quinque guttas, sive opii solidi quod ei æquivalet, à duobus cùm dimidio granis ad tria cum dimidio: deinde singulis semihoris laudani guttæ quindecim aut opii dimidium granum exhibendum est, usque dum dolor remitti cœperit: Quod cùm fit, sistendum est nec ultrà procedendum. Hâc methodo propositum finem consequemur, neque in-

terim de nimiâ opii ingerendâ quantitate periclitabimur. Cujus tamen rei minus eſt quàm vulgò creditur periculum. Qui enim nimiâ laudani ingeſtâ quantitate perire vulgò exiſtimantur, laudano etiam non exhibito paucos tantùm dies ſuperſtites fuiſſent. Et ſunt qui ei ita aſſueverunt ut quotidie duas opii drachmas devorent: Illæ autem ſex ferè unciis, laudani liquidi pares ſunt. Et novi qui, nunquam anteà deguſtato laudano, tres ferè ejus uncias pro elixire ſalutis hauſerit. Ille, quanquam eo medicamento vehementer debilitatum ſenſerit ventriculum ad aliquod tempus, & per integrum menſem quaſi veterno correptus obſtupuerit; convaluit tamen, nec quod ſciam è vivis etiamnùm exceſſit, etſi multis abhinc annis id illi infortunii acciderit. Cæterùm, ſi primò exhibita quantitas vomitu rejiciatur, tertia circiter ejus pars intra corpus permanere conjici poteſt; cujus ratione habitâ ſubſequentes quantitates dimetiendæ ſunt. Nec conſtitutionum diverſitas hic magni momenti eſt ad judicium de quantitate exhibendâ ferendum, cùm valdè imbecilles raro acutiſſimis doloribus obnoxii ſint. De dolore autem leniendo nunc diſſero.

§. 16. Quod ſupereſt: Unicum inſtrumentum & quaſi arcanum vitæ producendæ in hoc conſiſtit ut ſanguini reliquiſque hu-

moribus debita & idonea tenuitas & fluiditas conſervetur, quò ei per minimos canales circuitioni, cui vita & ſanitas conjuncta eſt, quàm minimo fieri poteſt cum impedimento & offenſione, perficiendæ apti & habiles ſint. Quicquid contra nitamur, corporis noſtri fibræ diuturnitate temporis rigeſcunt: Quod ex fabricæ noſtræ naturâ neceſſario ſequitur. Ut enim in megacoſmo fluidorum moles † indies minuitur: Ita in Microcoſmo noſtro poſt aliquod tempus, appetitu coctioniſque vi labante, & fluida minora quantitate ſuppeditantur, & ſolidarum partium quotidianæ reparationi impenduntur, quo fit ut mutatâ ſuâ indole in ſolida corpora tranſeant. Et illa cùm ſe intra ſolidarum fibrarum interſtitiola inſinuent, eoque minimos canales, qui nutrimentum vehunt ad interiores ſolidorum partes comprimant & obſtruant, quò ea humoribus & ſuccis emollientibus priventur; ſolida tandem indurantur & rigeſcunt, elaſticamque ſuam vim deperdunt. Hîc mechanico & neceſſario modo proceditur. Cùm ſcilicet longo tempore & ætate provectâ coctionis vis debilitetur, calor naturalis qui in humorem pleno vegetoque circuitu conſiſtit imminuatur, ipſique humores in ſolidam materiam mutentur, eòque

† Neut. Princ. Mathemat. L. III. Prop. XII.

ſolidæ partes figantur & indurentur & elaſticâ vi priventur: Fluida proinde minore vi & velocitate circumaguntur, raròque ad vaſorum minimorum extremos fines pertingunt, majoribus tantùm & patentioribus ſe continent, perque ea ſola circuitum ſuum peragunt. Si inevitabilibus hiſce malis addas præterea & nutritiam ſeroſamque ſanguinis partem & eam quæ rubris globulis conſtat, incraſſari & lentam viſcidamque fieri; vides humorum circuitioni tandem obicem, vitæque ipſi finem ponendum eſſe. At certè nos ipſi multum poſſumus in humorum fluiditate & tenuitate conſervandâ aut etiam producendâ, niſi penitiùs corrupti ſint ita ut quod supereſt vitæ ſpatium anguſtius ſit quàm ut longo illi operi perficiendo ſufficiat. Certè quodvis fluidum diluere & fluidius efficere poſſumus ad quem ingreſſus & à quo egreſſus liber patet. Et quò fluidior eſt quivis humor circumactus, hoc eſt, quò minores tenuioreſque ſunt ejus particulæ, eò minore etiam vi opus eſt ad ejus motum cùm inchoandum tùm conſervandum. Et in animalium corporibus, quò tenuiores & fluidiores humores ſunt, non tantùm eò minore operâ in circulum agentur & minore cum renixu, hoc eſt, dolore; ſed & circuitu ſuo tantò diutiùs ne ſoli-

dæ partes rigeſcant & indurentur prohibebunt.

Et ſenibus verò quibus fibræ, præter alias cauſas, propter hanc etiam rigent, quòd non aliud ferè ſint quàm cicatricularum ſeries millies hîc illîc per totam ſuam longitudinem detritæ & vulnuſculis laceratæ, totiéſque reſarcitæ, quod ſine cicatriculis fieri minimè potuit; ſenibus, inquam, hâc de causâ neceſſarius eſt victus, qui parùm ſolidæ & multum liquidæ materiæ in ſe contineat: Ut & rigentibus minùſque elaſticis, hoc eſt imbecillibus, eorum fibris circumagi poſſit, & ultimorum canaliculorum cavitates aut meatus, qui illis anguſtiores ſunt, nec præ fibrarum rigiditate, dilatabiles, pauxillum ſolidæ materiæ multo humore invectum ſubingredi queat, quò aliqualis illis nutritio diutiùs continuari poſſit, ne eorum corpora atrophiâ, quanquam cibo, ſed nutritioni inepto, repleta, areſcant tabeſcantque.

Nullus eſt major aut damnoſior error iſto quo hominum vulgus tenuem ſanguinem pauperem vocant, effœtum ſignificantes & vitæ uſibus ineptum; cujus metaphoricæ non minùs quàm veræ propriæque paupertatis nomine terrentur. Verùm è contra ſanguis quò fluidior eò ditior eſt, hoc eſt, melior, ſi divitis & boni ſangui-

nis eadem sit significatio. Nam hydrope, anasarcâ, cachexiâ & scorbuto laborantium sanguinis & serosa pars & quæ globulis constat, crassa, lenta & acris est; ita ut nec vasorum minimorum extrema permeare possit, nec ipsis vasis diu contineri quin ea corrodat & exedat, adeoque, tenuiore saltem sui parte, in cavitates decidat & hydropem gignat; aut sistatur, & vascula obstruat, unde anasarca aut scorbutus oriatur. In quibus omnibus casibus serosa sanguinis pars nimiâ salis urinarii copiâ abundat, merumque lixivium fit, ita ut præ crassitie suâ in globulos formari nequeat, quibus circuitus per capillaria vascula facilitetur (parvi enim illi globuli elastici figuram suam in ellipticam sive sphæroidem mutando mirè promovent humorum circuitum per minimos quosque meatus) alteraque pars globulis constans in meram placentam tenacem & viscidam abit. Atque ita seri quantitas crescit, alteriusque partis copia sensim minuitur. Et hoc quidem sensu, abundantis nempe seri & deficientium globulorum, hujusmodi sanguis liquidior dici potest; nullo autem sensu bonus. Sanguis tenuissimus & fluidissimus semper optimus existimandus est, utpote partibus minimis & subtilissimis constans, quæ facillimè in globulos rubros

formantur, & per capillaria vaſa circumfluunt: Quod ſanitatis & longævitatis ſolidiſſimum eſt fundamentum. Jam ſicut ex eo ſolo quòd quis luxui ſuo lautum opiparumque cibum indulgeat, quem coctrices ejus vires nequeant in particulas comminuere ſatis tenues ut in globulos rubros facilè efformentur, & per minima vaſcula fluant, quique eo ipſo humores nimio ſale urinario imbuant, qui facilè in moleculas concurrit, quibus primò obſtruuntur, deinde rumpuntur minuta iſta vaſcula; potumque ſpirituoſum liberiùs bibat quo ſolidarum partium tenues fibræ quaſi ſemicoctæ exeduntur: Ut, inquam, ex ſolâ hâc intemperantiâ diu & perſicaciter continuatâ, talis fluidorum & ſolidorum ſtatus gigni poteſt, atque ita cachexia induci quæ in hydropem deſinere poteſt, aut fatalem aliquem alium diuturnum morbum, pro ſpeciali nempe ægri habitu, fabricâ & conſtitutione varium (nunquam enim quiſquam parco tenuique victu, ſive cibo ſive potu, uſus in hydropem incidit, ſi corporis ejus fibræ à primâ origine firmæ fuerant, & humores nullâ acrimonia hæreditariâ infecti) ita nihil quidquam mihi videtur certè integréque efficere poſſe & progignere contrarium ſanguinis humorumque ſtatum, ut nempe fluidi fiant &

dulceſcant, præter contrariam prædictæ methodum, quâ nempe ſolo victu tenui, macro, fluido accuratâ cum ſeveritate utimur. Dolium liquoribus craſſis, viſcidis & impuris plenum purgare, humoreſque contentos diluere & attenuare ſi cupiamus; non aliâ potiùs viâ id perficiemus quàm tenuem, pellucidum, inſipidum liquorem iis affundendo, ipſumque vas frequenter agitando. Eadem ferè eſt ratio corporis animati. Nullus unquam luxurioſus aut ignavus, niſi ferrei roboris à naturâ corporis machinam habuerat, longævus fuit. Et ſiquis fortè talis attigit ſenii tempora, ut ærumnoſior ei, quàm ad metalla damnato ſi modò ſobrio, vita fuit; ita & extrema ſenectutis ejus cruciatibus, ipſaque mors horrore & deſperatione plena fuit: Imò, Martyris ei cùm ſolatia deeſſent, Martyre tamen longè graviora & acerbiora paſſus eſt. Quibuſcunque vita longa & dolore vacua fuit, ii abſtemii fuerunt, tenuique parco & macro victu uſi ſunt. Cornarus ſeverâ abſtinentiâ & quæ à jejunio parùm differret vitam ſibi ſenſuumque integrum acumen ad extremam ſenectam conſervavit: Nec deſunt qui ejus exemplum ſecuti eorundem commodorum participes facti ſunt, Ex eo quidem aliquatenùs imminutum eſt iis corporis robur, igneaque

igneaque & præfervida animi vis & irrequietus ardor refrixit. At ſenſuum omnium acumen & integritatem conſervârunt, dolores leniverunt, vitæ tempora produxerunt, facilemque & tranquillum ex illâ exitum ſibi parârunt. Lenium & domeſticorum, quæ vocant, catharticorum frequens uſus, idonea corporis exercitatio, aliaque ſanitatis inſtrumenta ſuprà præſcripta non parùm ad hunc finem conducent. Sed ab abſtinentiâ tanquam à ſolidiſſimo fundamento inchoandum eſt, in eam deſinendum. Abſtinentiæ autem nomine non jejunium intelligo (id enim neque neceſſarium eſt, & noceret) ſed victum tenuem & parcum. Sine hoc reliqua nihil proderunt. Hoc autem ſolo, abſque illis, vita tamdiu in longum produci poterit quamdiu ut duraret naturali cujuſque corporis fabricâ conceſſum eſt; tandemque placidè & tranquillè finietur, ut lucerna deficiente fomite extinguitur.

CONCLUSIO.

IN ſummâ; ut argumentis ab officii noſtri erga Deum ratione ductis temperantiam ſuadere omittam, quanquàm ſu-

premus Legiſlator Chriſtus non minùs verè corporum quam animarum noſtrarum reſpectu vitam & immortalitatem in apertum produxiſſe dici poſſit: Hoc ſaltem addam; ſi vel Ethnicorum Philoſophos audiremus,

—— *Servare modum, finemque tueri,*
Naturamque ſequi ——

præcipientes; ſi in omni cogitatione, dicto, factoque noſtro finem tueremur, non dico vitæ terminum, ſed finem quò illa ex ſe ſuâque naturâ ultimò tendunt; ſi in omni animi affectu, appetitu & cupidine auream mediocritatem ſervaremus, atque cùm iis indulgemus incorruptæ naturæ ductum ſequeremur, neque eam ultra modum ſuum incitantes, nec æqua & modica appetentem ſtrictis nimis habenis coërcentes: firmiore certè valetudine, ſubtiliore ſenſuum acumine, eorumque objectis magis exquiſitâ cum voluptate frueremur, à dolore magis immunes viveremus, minoreque cum corporis cruciatu animique angore moreremur. Nam abſque parentum luxuriâ, libidine & immodicâ eorum erga quemcunque ſuum appetitum & cupidinem indulgentiâ fuiſſet, quâ corporum primùm ſuorum craſin vitiârunt, ex quo deinde factum eſt ut filiis ſuis non tàm corpora quàm ca-

davera gignerent morbida, caduca, animæque imperiis immorigera, ita ut postremis his mundi seculis animæ sceleris, corpora putredinis ultimâ labe contaminata esse videantur: absque his, inquam, malis fuisset, nunquam genus humanum iis morbis, doloribus & calamitatibus, ærumnosæ vitæ & miserandæ morti obnoxium fuisset, quibus nunc obnoxium conspicitur. E contrà, quanquam lapsi & primævâ felicitate exuti, homines si vel naturæ & rationis, ne dicam religionis, præcepta servassent; Vitæ suæ tempora ab omni dolore & morbo, saltem diuturno, vacua, si non & innocuis voluptatibus beata transegissent, extremi senii annos illibatâ cum sensuum & intellectûs integritate attigissent, tandemque placidâ cum tranquillitate diem suum obiissent, ut lucerna deficiente oleo extinguitur. Illi autem temperantiæ & sobrietatis derisores quibus tantoperè placet ignea illis dicta & vivida ingenii vis, quantumvis sibi plaudant, tranquillamque suam de vitâ futurâ securitatem jactent, quâ illis, excelsi scilicet animi viris, credi volunt liberum tutumque esse cuivis animi affectui & cupidini genioque suo indulgere; &, quæ ridicula illis videtur, de rebus futuris curam ludibrio habeant: At! Puto, peractâ vitæ fabulâ cùm de theatro dece-

dendum eſt, inſtante mortis horâ, vitam ſobriè & temperanter actam, mortemque tranquillam anxiâque à ſolicitudine vacuam, omnibus luxûs voluptatibus vanæque & inſcitæ ſuæ de ſecuritate, nunc tandem interpellatâ, jactationi boni illi viri præoptarent, &, ſi liberum eſſet, commutarent.

FINIS.

GEORGII CHEYNÆI,

Medicinæ Doctoris

Col. Reg. Edin. & Soc. Reg. Lond. Soc.

DE NATURA FIBRÆ

Ejuſque laxæ ſive reſolutæ morbis

TRACTATUS.



A PARIS, RUE S. JACQUES.

hez GUILLAUME CAVELIER, près
la Fontaine S. Séverin, au Lys d'Or.

M. DCC. XLI.

Avec Approbation, & Privilége du Roy.

VIRO VERE' HONORABILI;

ARCHIBALDO HUTCHESON

ARMIGERO,

IN SUPREMO BRITANNIÆ Concilio Senatori perquàm illuſtri, antiquis moribus, incorruptâ fide, rerum prudentiâ ornatiſſimo, hunc Tractatum, meritiſſimæ obſervantiæ & exiſtimationis monimentum,

D. D. D.

Georgius Cheynæus.



PRÆFATIO.

SI quâ unquam ope ars medica ad eum perfectionis apicem evehi possit, in quo cùm constiterit, subjecti dignitati certitudine suâ respondere, dignaque quam vir probus & ingenuus ut artem sibi notam & minimè fallacem profiteatur, possit videri: Non illud priùs fiet quàm, omissâ abditarum & latentium causarum laboriosâ & plerumque inutili disquisitione subtiliumque hypothesium conden-

darum ingenioſo luſu, Medici cauſis morborum proximis, evidentibus & communibus contenti, ipſorum ad paucos quoſdam ſimpliceſque ſummâ cum curâ & ſolertiâ reductorum curationem cùm aggrediuntur, eò præcipuè animum intendant ut cujuſvis morbi radicem illi cum multis ejuſdem generis communem quocunque poſſunt modo exciſam revellant; ſecundariam tantùm & minùs principalem curam impendentes extirpandis ſymptomatis ex eâ, ſurculorum modo, ſuccreſcentibus. Hâc methodo ſolâ naturæ, multos ex unicâ causâ varios effectus producentis, ſimplicitatem æmulabimur. Huic inſiſtentes,

ſymptomata ex ægri conſtitutione, loci affecti naturâ aliiſque circumſtantiis nata, reciſâ morbi radice tanquam ramulos exareſcere emorique videbimus. Morbi certè cùm acuti tùm diuturni homines ſub eodem aëre cœloque natos, in eâdem regione habitantes, & communia plerumque omnia paſſos invadentes, communes quaſdam & generales cauſas agnoſcunt. Ex hujus quidem aut illius hominis propriâ conſtitutione, ætate, vitæ ſorte, victûs ratione, variiſque quas varii exercent artibus differentias quaſdam enaſci fateor; ſed quæ cum cauſis morborum communibus & quaſi indigenis comparatæ ita minutæ &

parvæ ſint, ut tutò (ſicut in Geometricis approximationibus fieri ſolet) negligi poſſint, præſertim inter curationis initia & uſque dùm priores illæ & generaliores cauſæ, à quibus nempe plus periculi imminet, tollantur. His priùs ſublatis non ego diligentiam quantumvis ſedulam in tollendis ſymptomatis ex his differentiolis natis collocatam improbo; quæ tamen magnam partem inutilis eſt, cùm ſymptomatum ſurculi, ut diximus, excisâ ferè radice ex ſe concidant. Hâc methodo Geometria ſublimior & calculus analyticus ad eum quem hodie tenent perfectionis apicem evecta ſunt: Eâdem etiam Medicinæ praxis eo uſ-

que ſaltem promovenda eſt ut in illâ tandem aliquid certi & definiti, & concinnæ elegantiæ aliquid reperiatur. Exemplo res fiet manifeſtior. Ponamus methodum & medicamenta tollendæ inflammationi idonea nota eſſe. Eodem igitur genere Medicinæ iiſdemque medicamentis profligabitur febris ſcarlatina, eryſipelas, roſa Anglicana, rheumatiſmus inflammatorius vel calidus, arthritis, oculorum, pleuræ, pulmonis, veſicæ, uteri & inteſtinorum inflammationes, verbo, quicquid eſt morborum inflammatoriorum; & (cùm inflammatio intenſiorem quam quivis alius morbus internus dolorem excitet) dolor tenſivus, calidior

& vehemens quicunque, & ubicunque ſitus. Similiter ratiocinandum eſt de morbis viſcoſæ ſeroſitatis: Similiter de morbis lentioribus & diuturnis quibuſcunque (ubi nempe abeſt febris) à fibrarum imbecillitate ortis. Eadem enim victûs ratio eademque medicamenta omnibus eorum ſpeciebus conveniunt: Imbecillitas utique & tenuitas fibrarum omnibus communis, undecunque orta & quibuſcunque circumſtantiis ſtipata ſit, cauſa eſt & origo omnium malorum, hujuſmodi ægris mortem aliave pericula intentantium: Quam ſi victûs ratione & medicamentis idoneis viceris & graviora inde nata ſymptomata profli-

gaveris, leviora ſponte ſuâ cedent. Quâ autem methodo quibuſque medicamentis imbecillitatem, tenuitatem & valetudinariam infirmitatem ſuſtuleris, iiſdem certiſſimè ſanitatem jam redditam tuebere, vitæque ſpatium produces. Quod enim majus potuit, minus etiam poterit. Hanc ego methodum mihi ſequendam propoſui cùm in altero, *de ſanitate tuenda & vitâ prolongandâ*, tùm in iſto, *de nervorum naturâ & morbis*, tractatu. In quorum altero ea trado quæ morbi ſanandi, altero quæ ſanitatis tuendæ causâ mihi videntur facienda & fugienda hominibus quacunque de causâ imbecillis, ſive naſcendi ſorti, morbi acuti inſultui, immodicæ repletioni,

vitæ ſedentariæ, ſive cuicunque tandem cauſæ infirmitatem ſuam debeant. Omnibus enim imbecillis & valetudinariis propter communem omnibus infirmitatem eadem ferè obſervanda & cavenda eſſe exiſtimo.

Non doceo tamen quid ipſius paroxyſmi morbi cujuſvis diuturni tempore, ægri liberandi causâ, ſit faciendum: quæ enim vulgò fiunt rectè mihi fieri videntur: Aut ſi quid hâc ſuper re interſperſum eſt, id obiter & oblatâ occaſione, non datâ opera eſt factum. Nam unicum illud mihi propoſui, ut ſcilicet oſtenderem quid in paroxyſmorum intervallis fieri deceat, quo eorum reditus primò minùs frequen-

tes, tractu deinde temporis nulli ſint, erroreſque in victum irrepentes ne in morborum ſemina ſuccreſcant. Neque ad caſus particulares deſcendo, aut hîc aut in altero de ſanitate tractatu, quorum ſcilicet nullum unum alii cuiquam per omnia ſimilem reperias; quod tamen particularia de iis præcepta tradituro reperiri neceſſarium eſſet, niſi in ſingularibus enarrandis infinitus eſſe vellet. Generales curandi vias trado, particularibus caſibus ſolertiâ ejus Medici qui cujuſque ægri lecto aſſidet applicanda. Illi nempe cognita ſunt ea data quibus generale problema fit particulare aut ſingulare. Namque ut Mathematicus qui methodum generalem ſolven-

di alicujus problematis tradit, methodos etiam particularibus ejus casibus applicandas docuisse videri potest, utpote quæ generali methodo comprehenduntur: Conditiones etenim ad hanc particularem applicationem necessariæ ex circumstantiis particularis cujusque casûs, illi soli qui particularem eum casum præ oculis habet cognitis, deducendæ sunt. Ita Medicus qui generales curandi rationes tradit, multum etiam peritiæ & industriæ Medici ægro assidentis permittere necesse habet.

Hæc mihi scriptionem meditanti propositum erat docere. Quâ felicitate id perfecerim Philosophorum & Medicorum esto judicium.



DE NATURA FIBRÆ,

Ejuſque laxæ ſive reſolutæ MORBIS TRACTATUS.

§. 1.



Orporis animati fibræ ultimæ, quales pluſquam centenas fibræ aſpectabiles complectuntur, filamenta ſunt exilia, pellucida, ſolida, elaſticam vim habentia.

Ex his coaluerunt, in has ultimò reſolvuntur ſolidæ corporis partes quæcunque, etiam oſſa artificiosè remollita. Ex his, ut ex lino fila, fibræ majores fiunt; ex quibus deinde membranæ, ſicut ex lineis filis telæ, contexuntur. Convòlutæ autem fibræ & membranæ, vaſa, canales & oſſa dant.

Fibrarum carneæ dictæ ſanguine pleniùs rigantur; utpotè quarum actio valida &

frequens majorem humoris densi nec facilè avolantis copiam postulet, quâ conservetur earundem flexilitas.

Quæ autem subtilioribus motibus dicatæ sunt, ut nervinæ fibræ undulationi aut vibrationi, iis paucior humiditas sufficit, at mollior blandiorque opus est, quali cernimus albicante nervos uvere.

Sunt & quibus minima & vix sensibus obvia humoris portiuncula satis est; qualibus constant membranæ, tendines, cartilagines, & præcipuè ossa: Quorum particulæ cùm vix loco moveantur, situmve inter se mutent; olei idonei pauxillo, lenique calore illud liquante inque eorum penetralia adigente satis cavetur ne hujusmodi membra exarescant & dein frangantur. At varios & diversos fibrarum usus & actiones & his congruentem humoris idonei diversam copiam & densitatem si excipias; una omnium & communis videtur natura. Quod easdem, abluto humore alieno, puras mundasque spectanti satis apparebit.

§. 2. Cum animati corporis tùm aliorum omnium elasticam facultatem non ineptè tribuas particularum, dum corpus distrahitur, in contactu mutuo hærentium numero, numerum divulsioni cedentium longè superanti. (Particulæ autem contiguæ validissimè inter se cohærent præ quibusvis vel mi-

nimo angulo dissitis.) Sic enim fiet ut quamvis, distracto corpore, aliquot ejus particulæ à mutuis amplexibus divellantur, earundem tamen vis adhæsivæ magna pars superstes, cùm ad angulum quasi infinitè parvum divaricentur, &, quæ integra permansit, longè plurium nequaquam divulsarum particularum vis cohærendi, cum primùm cessaverit vis divellens, semotas validè revellat in priorem locum & contactum; nisi eo usque divulsæ fuerant ut extraneis corpusculis ad occupanda eorum interstitiola liber aditus patuerit. Istud autem est elasticum esse.

Notissimum est ferrum mollius repetitis mallei ictibus tunsum, elasticum fieri. Ictus autem quid nisi particulas complures in arctiorem complexum latioremque contactum adigunt? Idque eâ vi ut massæ gravitas specifica manifestè augeatur. Animalium autem quibusdam partibus quæ præ cæteris corporibus elasticâ vi insigniter pollent, cetorum intellige pinnas, quadrupedum cornua & elephanti dentes, pulvisculum si priùs exsiccatis abrasione deteras erit ille albus: Quod particularum quibus constant facies læves inque speculi modum politas monstrat. Easdem, deterso priùs diligenter omni humore alieno, si eo usque decoquas ut in coagulum facessant quod gelatinam

vocant; erit illud albicans & pellucidum. Unde ſimilem omnium particularum, in æquabilem appoſitionem ſe componentium, figuram, non minùs in his quam in ſalis corpuſculis colligas. Salis autem corpuſculorum facies læves & ſpeculorum ritu politas eſſe, eaque inſigni præ reliquis quibuſcunque corporibus vi ſe mutuò attrahere notiſſimum eſt. Fluida etiam corpora ſalis puri & ſinceri ſpiculis rigentia, ut mercurius ſublimatus, & glacies (ſi in pulverem redigatur) niteſcunt & ſcintillant. Ipſum autem ſal parum eſt diaphanum. †

Cum attractionis vi jam expoſitâ ad elaſtici corporis reſtitutionem conſpirare videtur renixus particularum ab altero latere laminæ elaſticæ compreſſarum dum ab altero alteræ diſtrahuntur; imò hinc reſtitutionis initia fieri.

§. 3. Modo explicatam elaſticam vim fibris muſcularibus ineſſe manifeſtè oſtenditur tranſversâ muſculi cujuſvis ſectione, quâ factâ fibræ utrinque in ſe retractæ evidenter monſtrant ſe ante factam ſectionem ultra naturalem ſuam tenſionem & longitudinem fuiſſe diſtractas, nativâque & congenitâ ſibi vi jam ſe recipere mutuiſque amplexibus jungi. Eadem inſuper vi, ſed

† De his V. Boylium de Colorib. p. ii. c. i. & p. i. c. iii. §. 8. & paſſim.

modo nulli satis intellecto auctâ, peragitur vegetior illa fibrarum contractio, quam ad animæ plerumque nutum factam, muscularem vocamus. Ad fibræ enim intensionem satis est ejus particulas in mutuos amplexus ruere propiúsque se contingere; ad remissionem, ut remittente se istâ vi in priorem illæ longitudinem extendantur. Hæc enim si fiant, musculi terminus mobilis versus immobilem adducitur, & absolutâ ejus actione, in priorem situm redit: Quibus duobus omnis musculi motus continetur. Quæcunque autem sit causa vermicularis hujusmodi fibrarum contractionis, eique tanquam fundamento innixi motus muscularis (quam nec investigandam, nedùm definiendam, suscipio) fibrarum certè corrugatio, sive particularum eas constituentium propior ad se invicem accessus, non tantùm fibræ actionem augere aut roborare videtur, sed & ipsa nativa & unica esse fibræ in eo motu actio: Quam clarè ostendit sagacissimi Glissonii experimentum, quo musculum contractum non contracto minorem mole deprehendit. Unde evidenter colligas non inflatione, non ullo corporum extrinsecorum in musculi substantiam influxu, sed sôlâ partium ejus solidarum approximatione musculi contractionem fieri. Eam autem ope subtilissimi cujusdam humoris intra cere-

brum è ſanguine ſecreti, ſpirituum animalium nomine clari, non fieri his rationibus adductus credo. Neque microſcopio pervii conſpiciuntur nervi; neque, tanquam venæ lacteæ aut lymphaticæ, ſi comprimantur verſus originem ſuam intumeſcunt; nec, propter cylindricam eorum figuram, obſtrui poſſunt, ut inde nervorum morbi explicentur. Nullo inſuper liquore manifeſto rigantur niſi lacteo quodam, quo humectantur ut eorum tonus conſervetur: Nec ullo corporis animati mechaniſmo, conſpirante etiam leni calore fovente, ſpiritus ullus, quales ſpiritus volatiles aut inflammabiles cernimus, aut ullum fluidum aquâ communi ſubtilius generari poteſt; nec, ſi generetur, intra molles & raros nervorum canaliculos contineri ne avolet; nec, ſi contineri poſſet, per tam exiles tubulos (validè, nempe, pernici ejus motui renitente tubulorum attractione, qualis in vitreis tubulis aquam ſatis inſigni vi ſuſpenſam detinet) ictu oculi ad muſculos a capite remotiſſimos tranſmitti, ibidemque ad eos inflandos fermentari, ut motus inde muſcularis ſubſequatur. Nec fluidum ullum contrariis directionibus aut undulationibus ad motum muſcularem producendnm ſimulque ſenſum, puta doloris, excitandum & ad cerebrum uſque tranſmittendum, in iiſdem

nervis eodem tempore potest moveri. His igitur de causis, & quòd motus muscularis, non musculorum intumescentiâ, inflatione aut infarctu fiat, sed ipsorum induratione, constrictione, totiusque molis in minorem contractione, (quod non solum Domini Glissonii experimento evincitur, sed & ipsis oculis conspicitur in brachii contorsione violentâ indeque ortâ vasorum sanguineorum intumescentiâ) figmenta spirituum animalium intra corpus animatum genitorum, cum æquè conspicuis & manifestè cognitis Aristotelicorum formis substantialibus, pueris & puerilibus hypothesium conditoribus crepundiorum loco sint: Doctis, nisi manifestioribus quàm quæ hucusque vidimus signis se prodant, tantorum tamque insignium in corporibus animatis effectuum causæ ne habeantur. Spiritus dico in corpore animali genitos; Æther enim * Neutoni neque intra corpus generatur, neque nervis aut fibris animalibus continetur; neque ad motum aut sensum explicandum, priusquam ejus existentia & vires experimentis deprehendantur, tutò adhiberi poterit.

§. 4. Ille etiam motus à quo pendet externorum corporum perceptio, ab iisdem corporibus, nervorum finibus exterioribus

* V. Quæst. 23. 24. ad finem opticæ. Edit. 2.

impressus solâ eorum undulatione aut vibratione, quæ pro situs & structuræ ratione varia est, ad alteros & interiores eorundem fines propagari videtur, unde modo nobis prorsùs incognito ipsi animæ sentienti traditur. Solâ, inquam, undulatione aut vibratione. Omnis enim corporis sive fluidi sive solidi partes undulationis aut vibrationis capaces esse ex eo manifestum est, quòd motum sibi impressum per se transmittant aliisque vicinis & contiguis corporibus impertiantur. Sic se rem habere in auditu demonstrari potest. Eodem modo visum peragi illustrissimus Philosophus Neutonus extra dubium collocavit. Et non dissimilia in aliis sensibus accidere suadet cùm perpetua naturæ regula, analogia, quâ similes effectus non dissimilibus causis nascuntur; tùm istud, quòd corpora non nisi motûs determinati communicatione alia in alia agere possint, nec hic motus aliter continuari aut propagari quàm solidarum corporis cui communicatur partium vibratione & tremore, qui corporum externorum perceptionibus animæ tradendis multò aptior erit fluidi cujusvis intra corpus animale geniti undulatione, quam jamjam ostendimus huic usui omnino ineptam esse.

Sive vera sint quæ de fibrarum naturâ & actione disserui, sive veritatis inveniendæ

cupidum vires defecerint (nam rei difficultas evidenti cognitioni obstat:) omnium tamen quæ de eâdem materiâ, quod sciam, dicta sunt vero proxima videntur. Ex iisque ægro, non morbo tantùm medelam quærenti sed & ejus causam & originem curiosiùs inquirenti, aliquid, ut in re obscurâ, lucis affulsurum spero. Et quanquam jam tradita theoriæ fibrarum levis adumbratio satis solidum non sufficiat fundamentum inædificandæ morborum eas invadentium curationi: eam tamen solidiori, imò omnium longè solidissimo, diuturnæ nempe observationi & experientiæ innixam jam monstrare aggredior.

§. 5. Fibrarum quæ impediant, interturbent aut pessundent functionem varii generis mala sunt. 1. Nimia sive humiditas sive siccitas, liquoris, scil. idonei defectus aut superflua copia. 2. Incongruorum & alienæ ab eorum indole conditionis corporum ramenta intra eorum substantiam se insinuantia, & æquabilem structuram interrumpentia, proindéque nativum illisque proprium vibrationis & tremoris modum mutantia aut corrumpentia. Hujus generis sunt sal & salsa quæcunque corpora. 3. Canalium humore lento distentorum, aut glandularum viscidis succis infarctarum & turgentium pressio; quæ quocunque in loco

nervis accidit, ibi necesse est eorum undulas & tremores sisti, neque ulteriùs progredi. 4. Imbecillitas quædam vis fibrarum elasticæ, & laxior earundem tensio sive congenita, sive externis insultibus aut casui cuivis fortuito referenda, sive pravæ denique partium conformationi aut naturali aut quæ casu obtigerit.

§. 6. Diuturnorum morborum origines in genere tres sunt. 1. Humorum corporis lentor sive tenacitas. 2. Eorundem acor & acrimonia sive exedens atque corrodens virus. 3. Deperdita aut saltem imminuta solidarum partium fibrarumque eas constituentium tensionis vis sive facultas elastica.

Harum causarum primæ effectus est canaliculorum minimorum per quos humores decurrunt obstructio, glandularum secretioni liquorum quos functiones animales postulant destinatarum farctura, impeditus denique & interruptus nervorum tremor & undulatio à canalium & glandularum distentarum pressurâ.

Secundæ, non illa tantùm humorum affectio qua ad lentorem & viscositatem tendunt, sed & ipsarum solidarum partium erosio & dilaceratio &, cùm acres particulæ fibrillarum substantiam ingrediuntur, ipsarum functio læsa.

A tertia causâ non modò debilitatur, nonnunquam etiam funditùs perit motus omnis à voluntate pendens sentiendique & cogitandi facultas; sed & circuitus humorum retardatur, & functiones animales corrumpuntur & conturbantur.

Tria jam dicta vitia licet ad omnem ferè morbum diuturnum & nervinum dictum producendum concurrant; differunt tamen hi morbi variaque sortiuntur nomina, prout symptomata plura aut insigniora morbi huic vel illi causæ originem suam debent. Sed illi præcipuè morbi nervorum dicuntur quorum symptomata nervorum systema vitiatum eorumque fibras laxatas &, abolitâ tensionis vi, remissas indicant.

Brevitas tractationis mihi proposita particularem omnium hujusmodi morborum enumerationem & ex symptomatum varietate distinctionem, nominumque appropriationem vetat. Hæc ferè nota sunt: Atque commodiùs doctrinæ causâ videatur illi ad pauca jam enumeranda genera reduci posse.

§. 7. Omnes nervorum morbi ab infimo, oscitatione nempe & pandiculatione, adusque summum, nempe apoplecticam dispositionem, varii tantùm videntur gradus unius ejusdemque morbi, debilitatis scilicet, aut remissionis sive relaxationis, defectûsque elasticæ facultatis partium solidarum; quo-

rum causæ sunt, eaque comitantur lentor & acrimonia humorum. Nam quanquam in tractandis nervorum morbis solidarum præcipuè partium ratio habenda videatur; rarò tamen accidit ut non etiam adjuncta sint humorum vitia, nisi juniorum, quibus nondùm humores corrupti sunt, eos nervorum morbos excipias qui ex acutis nati sunt, aut magnæ alicui præternaturali evacuationi, externæ læsioni vel malæ partium conformationi originem suam debent. Congenita autem & à nativitate tracta solidarum partium infirmitas raro solitarius morbus est. Plerumque enim adjunctum habet humorum aut lentorem aut acrimoniam qualis est scrofulâ aut scorbuto laborantium: quorum morborum alterutrum ut infirmitatis fibrarum aut comitem aut etiam causam nunquam non suspectum habeo. Certè gravioribus nervorum morbis laborantium fibræ cùm torpent aut debilitantur, simul etiam aut acres aut lenti sunt humores.

§. 8. Morborum nervinorum divisio eorum naturæ maximè congrua fit in sequentia tria genera.

1. Primum est eorum quorum symptoma præcipuum est temporaria aut etiam perpetua facultatis sentiendi debilitas, major minorve, aut totalis ejusdem cessatio;

quam ex ipsa rei natura necessariò sequitur omnis motûs voluntarii suspensio ; cùm anima sentiendi & cogitandi impos hujus aut illius musculi motum jubere nequeat, licet interim ipsi musculi motibus obeundis satis apti sint. Isti ab humorum lentorum & viscosorum copiâ nimiâ tanquam causâ principali oriri videntur, qui glandulas & canaliculos lymphaticos sive serosos obstruunt, eoque nervorum propriè dictorum undulationes & tremores interrumpunt, sistunt, debilitant & obtundunt. Multi sunt hujus generis morbi, abusque gravi apoplexiâ, quâ omnium simul nervorum origo comprimitur, omniumque vibratio ne ad animæ sentientis sedem propagetur intercipitur; ad sensuum ingeniique hebetudinem & stuporem. Huc etiam aliquatenùs referenda sunt hypochondriacorum & hystericarum deliquia & paroxysmi.

2. Secundum est eorum quorum præcipuum symptoma est motus voluntarius aut impeditus aut abolitus, infirmitas, scilicet, instabilitas, tremor aut vacillatio particularis alicujus artûs aut organi aut omnium simul organorum motûs voluntarii. Tales sunt paralytici generis morbi à paralysi universali usque ad segnitiem, ignaviam & inexpeditum inhabilemque artuum motum membrorumque frigiditatem. Atque hi si-

brarum & nervearum & præcipuè muſcularium debilitati, imbecillitati aut tono amiſſo deberi videntur.

3. Tertium denique eorum eſt quorum præcipua ſymptomata ſunt ſpaſmi, contorſiones, contractiones involuntariæ & convulſiones muſculorum aut omnium, aut quorundam tantùm. Tales ſunt morbi convulſivi dicti ab epilepſiâ & convulſivis hypochondriacorum & hyſtericarum paroxyſmis uſque ad oſcitationem & pandiculationem. Et hi in univerſum acriori ſtimulo & vellicationi debentur, quorum origo eſt ſalſa quædam & erodens acrimonia fluidorum animalium partem ſubtiliorem inficiens; acida præterea & ſtimulans aura, vapor, aut obſtructa perſpiratio, per canalis alimentorum, cerebri, aut quamvis in corporis trunco cavitatem, per muſculorum interſtitia, interque muſculos & membranas eos ſuccingentes; verbo, ubicunque ſive intra ſive extra vaſa talibus aculeatis effluviis locus eſt aut receptaculum, diſperſa; prout * alibi oſtenſum eſt. Pro vario autem acrimoniæ gradu aut acris materiæ quantitate minoreque aut majore inde provenientе fibrarum irritatione, fibræ ſegniùs aut validiùs contranituntur, eoque morbificam materiam minore aut majore vi ex-

* Tract. de Sanit. & Longævit. C. v. Sect. 15.

cutiunt. Nonnunquam tamen (ut in epilepsià) tantâ vi fibræ invaduntur ut aut victæ penitus fatiscant aut, quanquam totâ suâ vi agant, quam minimum tamen in morbo profligando aut efficiant aut quidem efficere possint, ideoque ægrum aut mors occupet aut parùm absit quin arripiat.

Et quanquam tres supradictæ causæ, ut jam monuimus, ad unumquodque genus morborum nervinorum modò enumeratorum singulæ aliquid conferant, imò in singularibus plerisque morbis, saltem majoribus & immanioribus, quales sunt apoplexia, epilepsia, paralysis, conjunctis viribus agant; & licet non raró ipsarum causarum una earundem aliam pro causâ suâ agnoscat: attamen modò tradita nervinorum morborum per genera sua distributio maximè naturalis & latissimè patens videtur. Et cùm morbo cuique nomen à præcipuo symptomate imponere familiare sit; ad tres jam traditas classes aut singulatim sumptas aut conjunctim, omne nervinorum morborum sive simplicium sive utcunque compositorum agmen reduci posse videtur.

§. 9. Sunt autem hæreditarii aliqui nervorum morbi, non minùs quàm acquisiti. Quicunque etenim infirmis remissisque fibris sunt, & nervorum morbis obnoxii, illis proles si qua fuerit, eorundem illam

malorum participem esse necesse est. Mali enim corvi malum est ovum; nec fortes creantur nisi fortibus & bonis; quod de corporis robore non minùs vere dicas quàm de animæ indole. Hæreditario nervorum morbo laborantibus, parva omninò affulget spes morbi radicitùs evellendi. His sufficiet sic satis commodè degere nec morbum incauto victu accendere & augere. Sunt & quibus congenitâ aut adventitiâ pravâ partium conformatione, casu fortuito (vulnere, puta, contusione, luxato, loco moto, aut fracto aliquo membro) aut acri quodam humore partes solidas erodente aut etiam de situ suo deturbante, nervorum systema vitiatum est aut aliqua ejus pars obstructa. His etiam parùm subsidii ab arte medicâ sperandum est, nisi saltem primæ malorum causæ medela priùs, ubi id fieri potest, adhibeatur. Superest & alia classis, eorum qui paupere aut nimis parco victu, aut improbo & vires superante labore, nervorum systema debitâ caloris & nutrimenti portione fraudârunt, & canales idoneâ fluidorum copiâ inaniverunt, unde temporis tractu fibræ congruo alimento & fomite privatæ sunt & canaliculorum serosorum latera ita coaluerunt ut difficulter admodùm, si modò ulla ope, denuò impleri possint. Hæc patiuntur qui in monasteriis

degentes aut eremum incolentes severioribus jejuniis se macerant, aut carcere inclusi famem etiam inviti ferre coguntur. Hos plerosque cruciat miseranda nervinorum morborum series; & si quod levamen superest, unicum est, idque satis obvium; plenior nempe victus cautè & prudenter adhibitus. Sed cum horum nullo mihi jam res est. Est autem cum iis quibus intemperantiâ, luxu, immodico literarum studio, evacuationibus nimiis, febris aut cujusvis morbi acuti vi, congenitum corporis robur fractum est aut fibrarum firma tensio laxata & remissa. Hi quibus auxiliis (quatenus saltem arte medicâ meâque, qualis qualis est, ejus scientiâ præstari potest) in priorem sanitatis statum restituantur ex mox dicendis patebit.

§. 10. Fibrarum infirmitati indivulsus comes adhæret, & pro ejus gradu minor majorve est, omnium functionum animalium languor & debilitas. Hæ enim cùm ex solidarum partium viribus & vegetâ actione pendeant, & ex motibus ab iisdem excitatis sivè immediatè structuræ aut mechanismi sui aut tonica vi, seu vi ipsis ab humoribus communicatâ: Cùmque humores in hujusmodi morbis torpere, viscosique & agilium particularum inopes esse soleant; atque ideo inepti qui solidas partes robo-

rent aut notabilem vegetumve motum iis impertiant; &, si impertire possent, cùm nullum organum aut instrumentum, quantamcunque vim aliunde illi imprimas, supra quàm ipsius robur fert operari possit, &, si urgeas, rumpatur: Propterea in hujusmodi morbis necesse est solidarum partium actiones debiles esse & languidas. Unde non tantùm primæ digestiones sive ventriculi & totius alimentorum ductûs actiones laborant, & nutrimento quod ut concoquatur validam vim postulat comminuendo impares sunt: Sed & secundariæ, quibus nempe sanguis sive intra pulmonem sive per reliquum corpus in canalibus suis attenuatur, comminuitur & commiscetur, quibusque variæ indolis succi hîc illîc separantur, tardè languidèque agunt & quasi emortuæ torpent. Ad quam functionum animalium debilitatem nisi in horum morborum curatione præcipuus habeatur respectus, idque non inter prima tantùm initia sed per totum ejus decursum; frustra medelam expectes aut sanitatem instaurare labores.

§. 11. Ex iis quæ jam breviter dicta sunt de morborum nervinorum indole & causis communibus sponte oriuntur tres indicationes sive intentiones in eorum curatione attendendæ; triplici causarum ex quibus

nascuntur varietati respondentes. Quarum uniuscujusque major minorve ratio est habenda, aut una præ aliis diligentiùs ob oculos ponenda, animoque tenenda est prout morbi qui tum tractatur & præcipuorum ejus symptomatum præcipua causa fuerit hæc vel illa è supra traditis.

1. Harum prima; quæque maximi est ad reliquas etiam assequendas momenti, est humores diluere, attenuare, fluidos reddere, eorumque lentorem, viscositatem & tenax gluten incidere, & canales hinc obstructos aperire & meabiles efficere. Hanc intentionem si omni ope & obstinato quasi animo prosequamur; brevi spatio symptomatum minuentur frangenturque vires, & impetus retundetur.

2. Secunda est, humorum acrimoniam aut acorem tollere & concretarum intra ipsos salsarum molecularum dissolvere nexus & frangere spicula. Hanc eo faciliùs feliciusque assequemur, si modò priùs benè cessit prioris intentionis prosecutio: cùm propter humorum maximè viscositatem circuitûs velocitati obstantem & canales minimos obstruentem fiat ut salis moleculæ concrescant & concretæ vim suam exerant. Humoribus igitur priùs sufficienter dilutis & attenuatis si deinde concretæ salinæ moleculæ diffringantur, & per humores jam

tenuiores diffundantur, hoc ipſo aptè diſponentur ad faciliorem ejectionem vel per materiæ perſpirabilis ductus vel per alia ſaltem patentiora corporis emiſſaria. Hujus igitur intentionis debita etiam eſt habenda ratio in nervorum morbis ſanandis.

3. Ultima denique & præcipua intentio eſt ſolidis partibus tonum ſuum & vim elaſticam reddere, ſive fibrillas totius corporis intendere & in cincinnulos quaſi ſuos corrugare. Huic autem intentioni aſſequendæ minimè allaborandum eſt, antequàm prioribus duabus felicem operam tamdiu dederimus quamdiu id poſtulare videtur morbi indoles temporiſque ex quo invaſit longinquitas, aut indicare ſymptomatum violentia & cauſæ efficientis natura. Quamdiu enim humorum lentor aut acrimonia manet, fruſtra; aut, ſi ſuccedat, magno ægri damno fibræ corrugantur & intenduntur: Quod ſine graviorum ſymptomatum inductione vix, ac ne vix quidem, fieri poterit. Nam cùm medicamentis aſtringentibus ad ſolidas corporis partes ſive fibras nullus niſi per humores pateat aditus, priùs illa humores incraſſabunt (nam & hiſce fibrillæ magno numero innatant quæ talibus medicamentis facilè conſtipantur) quàm fibras intendent & corrugabunt. Hæc autem humorum incraſſatio & conſtrictio

primæ eosdem attenuandi & fluidos efficiendi intentioni directè pugnat: Ut taceam, vix fieri posse ut, obstantibus eorum in vasa minima adactioni lentis quibus vehuntur humoribus, medicamenta solidas partes eâ vi & copiâ attingant, quâ ad earum corrugationem & contractionem opus est. Unde fiet ut intra humores detenta eosdem, ut jam dictum est, lentiores efficiant & obstructiones augeant. Est profectò hoc monitum maximi omninò momenti integram hujusmodi morborum curationem aggredienti. Quæ etsi hoc ipso ita in longum protrahatur ut ætate provectioribus vix tantum vitæ spatium supersit ut eam assequi possint; & imperii moræque impatientioribus intolerandum ejus tædium, & durior disciplina videri possit (quos igitur aut sorte suâ contentos esse oportet, aut cicatrice saltem ulceri non sano inductâ:) quod tamen res est apertè dicendum est, cùm nostri arbitrii non sit rerum naturam immutare & ad nostram cupidinem accommodare. Nam qui per longum tempus succrevit morbus viresque diuturnitate suâ acquisivit, ejus etiam materia sensim subtrahenda est, & fundamenta paulatim suffodienda.

At quibus ex acuti morbi insultu, hæmorrhagiâ insigniore, labore immodico, aut fortuito quovis casu, fibræ laxatæ &

remissæ erant, at humores minimè vitiati, sæpè morbum depuli solo infusi corticis peruani, crocique aut vitrioli martis, amaricantiumque & astringentium aliorum medicamentorum usu. At verò quibus corrupti erant humores, quanquam illis amaricantium, corticis peruani, reliquorumque astringentium (unum ferrum excipio, quod non nocebat) usu satis insigne ad tempus levamen adferrem: brevi tamen res in priorem locum redibant. Quare illis etiam quibus palliativa tantùm cura speratur non ilicò in tertiæ classis medicamenta invadendum est: sed humores priùs eo usque saltem diluendi sunt & attenuandi ut tutò, & sine damni suprà memorati periculo, astringentia medicamenta adhiberi possint. Quod nisi fiat; levamen quidem, sed alacritate illâ quæ è vino pleniùs poto nascitur, quam plerumque mœror comes subsequitur, non magis perennaturum sentient.

§. 12. Aliud hic addere libet monitum; quod, cùm maximi sit ad rectam morborum nervinorum sanationem momenti, paulò pleniùs tractandum videtur.

Ut omnes morbi quibus obnoxia sunt animalium corpora generaliter in acutos & diuturnos rectè dividi possunt; & acutorum causa generalis existimari ea sanguinis dis-

positio, quà facilè inflammationes excitat, & fibrarum tensio justo major: Ita & diuturni humorum lentori & fibrarum remissiori tensioni attribui possunt. Horum enim utrovis tollitur illud inter solidas fluidasque corporis partes æquilibrium, quo manente, his debita fluxilitas, illis justa sua tensio conservatur, sanitasque illibata perstat; quo verò pereunte & hæc perit, illi scilicet tanquam fundamento innixa. Ponamus jam hominem à nativitate sanum, vegetumque, & cujus omnes functiones animales tam perfectæ sint quàm vitæ humanæ sors permittit. Hic si infirmus & morbosus evaserit, nimiâ plerumque alimenti ingestione, majore nempe quàm quæ reparandis vitæ dispendiis satis sit, talis evadet. Nam cùm plerisque mediæ & superioris sortis hominibus, quibus scil. abundè suppetit quo se adversus cœli inclementiam aliaque corpori noxia pauperibus difficulter vitanda tueantur, damnorum sanitati illatorum vix decima pars aliunde quàm ex intemperanti alimentorum ingestione succrescat; exiguum illud hîc tutò negligi poterit, ne confusionem adferat. Primus autem & maxime naturalis hujusmodi intemperantiæ effectus erit, ut vasa nimiâ multitudine particularum in globulos rubros facilè coalescentium repleantur: Qualem sanguinem si fi-

bræ hucuſque firmæ & infractæ, ſive potu ſpirituoſo ſive nimio calore ſive immodico labore irritatæ, impetu juſto majore & nimiâ velocitate circumegerint, neceſſariò magnum globulorum ſanguinis rubrorum numerum adigent in minima vaſcula ſero tantùm & lymphæ excipiendæ deſtinata; in quibus ſi inſignior aliqua eorum portio aliquamdiu hæſerit, aut inflammatorium aliquem morbum excitabit, ut febrim (cujus ego omnes ſpecies gradu tantùm & hinc natâ moræ & longitudinis varietate, unâque præterea re poſtmodum memorandâ differre autumo) rheumatiſmum, arthritidem, eryſipelas & ſimilia; aut ſi canales crepent, apoſtema, gangrænam, necroſin. Sed hæc poſteriora raró accidunt, niſi accedat & alia conditio (quæ quidem plerumque adeſt) ſalſuginoſa nempe acrimonia, globulorum nimiæ copiæ ſuperaddita. Nam cùm omne nutrimentum ex animalium carnibus deſumptum, potuſque omnis ſpirituoſus ſale volatili, urinario & acri abundet; ſanguinis ex his geniti ſerum ſive lympha in lixivium quoddam abit, quod non tantùm omnes humores è ſanguine ſecretos acrimoniâ ſuâ inficit (quæ illa conditio eſt quam ſuprà innui, inflammatoriorum morborum malignitatem & durationem augens) ſed & ipſas fibras corrodit & exedit, adeo-

que earum fibrationes intercidit, frangit, sistit.

Jam si festinâ intemperantiâ humorum in corpore juvenili & hucusque sano, quantitas subitò modum excedat, acuti nascuntur morbi: qui aut brevi in crisin salutarem desinunt, malignam morbi materiam, eo finito, è corpore eliminantem, unde ægro sanitas denuò paulatim redit: aut, si vasa penitiùs obstruantur ut aperiri non possint, aut materiæ malignitas naturæ vim superet, citâ morte finiuntur.

Si verò, lentiùs & pedetentim succrescat immodica illa humorum copia, ita ut æquis passibus laxetur fibrarum tensio & humores lentescant; diuturni gignuntur morbi, pro ingestorum naturâ & ægri temperamento aliisque circumstantiis varii.

§. 13. Ex quibus omnibus patet nervorum morbis ex diuturno morbo ejusve causâ natis, hominesque primitùs & à nativitate sanos invadentibus perpetuò conjunctum esse humorum lentorem. Quare in hujusmodi morborum curatione egregiè erraret Medicus quicunque ea medicamenta exhiberet aut eam victus rationem suaderet, quibus istiusmodi humorum motus sive circuitûs velocitas adurgeretur, nisi iidem sufficienter diluti, comminuti & ad

commodam fluiditatem temperati fuerint. Miſeranda omninò mihi videtur ægrorum ſors cùm Medicos nec paucos nec imi omnes ſubſellii hunc errorem errare adverto. Hi cùm humorum animalium, vaſculo dùm è canalibus ſuis fluerent exceptorum, coagulationem admiſta medicamenta volatilia & aromatica aliquantiſper remorari vident, hujuſque generis alia experimenta intuentur: eadem ab iiſdem medicamentis intra corpus aſſumptis certiſſimè ſibi pollicentes; nec interim, numquid fortè inibi lateat quod eorundem vires retundat frangatve, ſoliciti; nec, ſi integræ permanſerint, an eas intra corpus, incommodo forſan tempore, exeri ægro proſit an ſecùs, cogitantes: volatilibus & aromaticis & quæcunque cardiacorum nomine veniunt medicamentis, nunc ſolidâ nunc liquidâ formâ non parcè ingeſtis, ægros diuturnis quibuſcunque morbis laborantes de die inebriant, ſomnumque, ne æſtuantes per noctem deſerat, opio alliciunt. Infirmum autem de inertiâ, languore, non ferendo ſibi corporis ſui gravi onere, doloribus nunc hîc nunc illic occupantibus nulloque ordine per corpus volitantibus, de animi denique dejectione conqueſtum; priùs irriſum & dementiæ inſimulatum, ad hilaria deinde pocula lautumque & elegantem victum

(ipsum, mehercules! Malorum fontem) tanquam ad certam Medicinam amandant. Quâ immeritâ miserorum derisione & odiosâ nominum delirii & dementiæ iteratione, & pro veris quorumcumque nervinorum morborum appellationibus substitutione pusillanimes (quales sunt plerique hujusmodi morbis laborantes) adeò terrent ut eorum non pauci questus suos coërcere ultimisque malis cruciari, sustineant, potiùs quàm se pro deliris & dementibus deridendos præbere. Sed isti non satis intelligere videntur nervorum morbos non tantùm reipsâ existere causasque habere naturales & corporeas; sed & acre & subactum Medici judicium & curam non perfunctoriam postulare imò & benignam, flectique facilem, & quæ, laboriosam, nec aliis in morbis necessariam industriam non refugiat, benevoli & clementis viri misericordiam requirere, quod hujus generis ægris non tantùm cum doloribus corporis conflictandum sit, sed cum tristibus etiam spectris larvisque & vanis meticulosi animi terriculamentis, unde amœnæ illos rerum species, magna tædiorum vitæ humanæ levamina, deficiunt, animique ægritudine confectis difficilior est morborum dolorumque corporis toleratio. Sed nunc ad medicamenta redeamus.

Quanquam volatilia & aromatica modicè adhibita, &, accuratâ habitâ ratione fluiditatis humorum & roboris fibrarum, aliquid conferant ad illorum quidem attenuationem & quasi emortuorum & torpentium animationem, harum verò crispationem & corrugationem inchoandam: cautè tamen nec magnâ quantitate usurpanda videntur, cùm ejusdem sint naturæ cujus est opiparus cibus potusque generosior, eosdemque pro virium suatum modo in corporibus humanis effectus edant. Quâ enim re cibus lautior à simplice differt, nisi volatilis salis copia? Quid aromatica sunt, nisi plantæ radiis solaribus sive particulis igneis inclusis plenæ? Et nihil differt zinziberis, piperis, cubebarum aut cardamomorum scriptulum à paucis spiritûs cujusvis volatilis subtilissimi guttulis, aut vinosi cyatho, nisi quod hic facilè perspirabilis citiùs è corpore ejiciatur, illa cùm firmioris compagis sint tardiùs egrediantur; ideoque plurium malorum causæ existant. Et verò, hujusmodi medicamenta etsi cruoris è canalibus suis educti coagulationem aliquamdiu remorari concedamus, nihilo tamen minùs verum erit eadem intra corpus assumpta cujus lenti fuerint & viscósi humores, & laxatæ remissæque fibræ, acriori suo stimalo & vellicatione febrilem quen-

dam ardorem accensura, fibrasque ita quidem irritatura ut totam quanta est vim suam superstitem circumvolutandæ inerti & gravi humorum massæ impendant; sed cessante tamen stimulo, ab improbo quem exantlaverint labore effœtæ, fractæ, lassatæque recedant, nec meliore nunc loco sit æger, imò longè pejori, quàm ante exhibita illa vana & inania medicamenta quibus qui illis assuescunt . . . . tolluntur in altum . . . . ut lapsu graviore ruant . . . . quemadmodum arborem circumspersâ ejus radicibus calce si excitaveris; ubere quidem fructuum proventu primos ejus annos beabis, brevi tamen effœtam exarescere atque emori conspicies.

§. 14. Hujus, quem coarguo, erroris tristes effectus ita frequenter observari, ut altiùs animo meo insederit ejus imago. Vidi qui ictericis volatilia sua, aromatica & deobstruentia quæ vocant medicamenta & lautiorem cibum eo usque ingesserint ut misero ægro, obortâ primùm sanguinis per patentiores quosque corporis meatus effusione, febricula postmodùm symptomatica vitam præciderit. Et qui arthriticos, ne scilicet morbus ventriculum caputque invaderet, ita ardentibus medicamentis inflammârint ut functiones præcipuas animales pessumdederint, articulorum nodis ri-

gentium mobilitatem ſuſtulerint, paroxyſmos denique periodicos in anomalos mutârint. Eadem etiam rheumatiſmi ſors eſt; cujuſvis denique morbi diuturni inflammatorii. Et nuperrimè quidem in ipſis acutis morbis deſierunt, ſi modò tamen etiam nunc deſierint, calidum quod vocant regimen adhibere. Sed hi cùm hujus loci non ſint; unicum tantùm morbum, acuti quidem nomen præ ſe ferentem, qui tamen huc pertinere videtur, paucis attingam.

§. 15. Hic eſt quem nervorum ſive ſpirituum febrim vocant, cujus nomen Medici quidam ſunt qui perpetuò crepent, ſive ægro palmæ aut pedum plantæ ſcorbutico calore ardeant, ſive febricula ex ſanguinis qualicunque æſtu aut fibrarum irritatiunculâ ingruat. Ponamus aliquem cui à nativitate obtigerit aut ex incauto victu obrepſerit debitæ fibrarum tenſionis remiſſio & relaxatio & humorum lentor; hunc, inquam, hominem ponamus lautiore alimento, & potu præcipuè ſpirituoſo, ſibi liberiùs indulſiſſe ita ut non ſubitò unoque quaſi ictu ſed ſenſim lentiſque incrementis naſcitura inde mala ſuccreſcant. (Nam hujus conſtitutionis hominum magna & ſubita intemperantia magno & violento aliquo ſymptomate brevi ſe oſtendit, quod idoneis medicamentis brevi etiam profligatur niſi (quod ſi fiat

brevi itidem fit) lethalem aut lethali paulò tantùm mitiorem effectum habuerit. Atque hoc, ut obiter id moneam, fundamento nititur veritas vulgaris observationis, infirmorum scilicet & inæquali valetudine hominum productiorem plerumque esse quàm robustiorem vitam: Infirmis, nempe ipsa sua infirmitas obstat quo minùs vehementis alicujus magnique morbi semina congerant, utpote quorum imbecillas vires vel minima morborum materia statim quatiat.) Quid autem hinc sequetur? Humores nempe æstuabunt ardentis & igneæ naturæ particulis satiati, & partes solidæ stimulo & vellicatione in contractiones naturæ modum excedentes adigentur, glandulæ autem intumescent humore non, quali per morbos diuturnos frigidos, segni & pituitoso, sed ardente acri & pungente, functiones animales turbabuntur, tota denique animalis fabrica fervebit. At partium solidarum naturali flacciditate fiet ut non eâ vehementiâ hæc symptomata in infirmos sæviant quâ in robustiores, ex iisdem causis sed vehementioribus &, propter vires à longiore tempore collectas, immanioribus, sævirent. Hunc, si libet, tumultum his conditionibus circumscriptum nervorum aut spirituum febrem vocemus. At febris certè est, ejusdemque cum aliis febribus in-

dolis: nec quicquam ab iiſdem differt niſi moderatiore ſuo impetu diversâque ægri conſtitutione; cujus igitur ratione interim habitâ variæque morbi malignitatis, non alio quàm aliis febribus modo huic febri medendum videtur. Verbi gratiâ, eſto in robuſtiorum febribus citâ magnâque evacuatione opus; hîc parcior & lentiùs facta proderit. Illæ ſi multam dilutionem & refrigerationem poſtulant; his temperatior erit ſatis. Illis ſi jejunium aut tenuiſſimus victus neceſſarius eſt; his modicus, facilè concoquendus & refrigerans pro jejunio erit. Denique, inclinante jam morbo poſtquam dilutio per idoneum tempus protracta fuerit, è cardiacorum & volatilium medicamentorum temperatioribus aliquantulum illis ſi conveniat, quo denuò quaſi animetur vapida humorum maſſa, & cruda, jam cocta, per vias à naturâ paratas ejiciantur; his calidiora & valentiora opus erunt, propterea quòd vapidiores & ſegniores ſint horum quàm illorum humores, & remiſſiores infirmioreſque fibræ, ideoque fortiori ſtimulo egentes, quo motum tantùm non penitùs intermiſſum denùo repetant. Et hoc inſuper diſcriminis inter harum & illarum febrium curationem intereſt, ex ægrorum etiam conſtitutione ortum, quod nempe ſicut his quàm illis minoris & mitioris mor-

bi protractior est duratio, ita medicamentorum cuique morbi tempori convenientium diuturnior etiam usus, in hisce acutorum morborum tardissimis & quodammodo chronicis quàm in acutioribus & acutissimis erit necessarius. Harum autem febrium de quibus jamdudum disserimus aliquæ levioris sunt momenti, &, sicut quæ ex ebrietate aut neutiquam gravi frigore suscepto nascuntur, modicâ evacuatione & refrigerante paucorum aliquot dierum victu sanantur. Quæ graviores sunt, quanquam majorem observationem postulant, non tamen id exigunt ut æger lecto affixus volatilibus, cardiacis, diaphoreticis, vesicantibus, totâque supellectili medicâ, quod quibusdam familiare est, opprimatur, quibus certè pro sanitate promissà non raro omnium morborum ultima medela mors arcessitur. Satis fuerat ægrum non lecto affigere, sed cœli inclementiâ defendere nocturnisque frigoribus & intempestivâ vigiliâ. De die verò sereni & aperti aëris captatio, moderata corporis exercitatio & hilares amicorum confabulatiunculæ ita non obsunt ut ad morbi medelam non parùm conferant. His autem omnibus lecto affixus destituitur. Sed hujusmodi febris si non sola, sed cum alio simul morbo gravi, quemcunque hominem, aut etiam sola eum

cui præ laxiſſimâ fibrarum remiſſione & humorum ſummâ corruptione nullus morbus periculo vacat, invaſerit: Non tùm morbi natura mutatur, ſed curationis quidem difficultas augetur. Hæc de febri nervorum idiopathicâ dicta ſunto. Eſt & alia quædam ſymptomatica, quæ ex æſtuantium humorum luctâ & craſi jam vitium faciente oritur. Eſt præterea febris nervorum hectica, quæ ulcus internum aut phthiſin lethalem antecedit aut comitatur. Hæ pro ſua quæque indole, quæ ex morbo cum quo complicantur pendet, tractandæ ſunt. At febris nervorum ſimplicis quâ talis, curandæ optima ratio ea eſt quam jam tradidimus. Eodem modo ratiocinabere de aſthmate, arthritide, colicâ, tuſſi convulſivâ, aliiſque morbis quæ vulgò in humoroſos & nervoſos (ſic enim appellant) diſtinguuntur. Qui nempe in aliis generali cujuſvis morbi nomine vocantur, in hominibus infirmarum fibrarum, nervoſi dicuntur: nec in his & illis tam morbi natura quàm ægri conſtitutio diverſa eſt: Cujus diverſitatis ſi debita habeatur ratio, ut ſcilicet, infirmis mitiora omnia, & præcipuè evacuantia, medicamenta exhibeantur; eadem methodus & medicamenta utriſque conveniunt.

§. 16. His ſic expoſitis ad ipſam nunc morborum nervinorum curationem & medicamenta

dicamenta cuique intentioni propria & accommodata transeamus.

Post præmissa quæ vocant universalia, hoc est, cujusvis generis evacuationes morbi & ægri indoli & statui præsenti convenientes, quæ fiunt sanguinis missione, cucurbitularum applicatione, emeticis, catharticis stomachicis (quæ scilicet dum alvum exonerant, stomachi simul intestinorumque fibras roborant) vesicatoriis & clysmatis; quæque per curationis decursum prout morbi aut maximè urgentium symptomatum ratio postulaverit repetendæ sunt, quo humorum libero circuitui locus & spatium detur & alimentorum ductui, nè fortè ejus sordibus obtundatur bonorum medicamentorum vis, impura & noxia everrantur: Post horum, inquam, usum adhibitum, prædictarum intentionum primæ assequendæ maximè idonea & convenientia medicamenta sunt calomelas, æthiops mineralis, cinnabaris antimonii & nativa, antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale & joviale, sal jovis, succi antiscorbutici, vina & cerevisiæ medicatæ, decoctum lignorum, & congenera; verbo, quæcunque particularum suarum pondere, agilitate aut quavis denique proprietate succis crassis, viscidis, lentis incidendis, attenuandis & fluidis reddendis idonea in-

veniuntur: Hæc, inquam, prout ventriculi infirmitas ea tulerit aut ægri morbive indoles postulaverit, adhibita, primæ intentioni optimè respondent. Inter ea primum locum tribuo cinnabari antimonii quæ, scilicet, ex omnibus una ventriculo minimè molesta est, nec ita facile torminibus intestina excruciat aut catharsin ciet, præsertim artificiosè elaborata, recens, & in longè subtilissimum pulvisculum repetitâ triturâ, quam lævigationem vocant, comminuta, ut commodè canales minimos serum lymphamque vehentes, præcipuam morbi sedem, subingredi, aperire, & meabiles reddere queat. Quantum autem recens & subtiliter comminuta, veteri, effœtæ & crassiùs contritæ in profligandis morbis ex humorum lentore natis præstet, soli experti & oculati testes reputare possunt. Ipse ego maximas ejus vires sæpè miratus sum, cùm nulli alii medicamento simul adhibito laudum ejus vel minima pars communis esse posset. Sed licèt his de causis illam bezoardico & æthiopi minerali plerisque in morbis anteponam: magnam tamen efficaciam, imò palmariam æthiopi minerali attribuo, ubi naturâ robustiorum crassissimi & lentissimi sunt humores & sale scorbutico refertissimi, hæcque vitia fibrarum remissione insigniora & manifestiora sunt; idque

propter catharticam ejus vim istis utilem & idoneam, miramque sulphuris in acidi acrisquesalis moleculis dissolvendis aculeisque obtundendis facultatem. De medicamentis è ferro paratis hîc taceo, cùm ea ad aliam ab hâc classem referam, propter rationes suo loco adferendas.

§. 17. Ad finem secundâ intentione propositum assequendum mirabiles profectò sunt vires medicamentorum sulphureorum. Quod ut manifestè appareat, summam perpende eorum efficaciam in sanandis cutis morbis, hæmorrhoïdum dolore, arthritide, erysipelate aliisque morbis diuturnis inflammatoriis; universam denique eorum naturam & facultates tecum reputa, quas ego in tractatu de arthritide fusiùs explicatas dedi. Insuper, eidem proposito conducunt medicamenta absorbentia & alcalina dicta, gummosa denique volatilia & volatiles sales. Non quòd credam volatilia propter vulgò assignatam præcipuè rationem, quòd nempe alcalinâ suâ vi acida obtundant, hoc in casu prodesse; quanquam nec hujusmodi aliqualem efficaciam iis negem: sed multò etiam magis quia humores segnes, resides & vapescentes & medicamentis in primâ intentione prosequendâ adhibitis ita dilutos & attenuatos ut id tutò nunc fieri possit, agitent, comminuant

ulteriùs, excitent & animent, adeoque primæ classis medicamentis commodè succedant & subsidiariam quandam nec inutilem operam præstent. Diligenter interim cavendum est ne volatilia ista medicamenta intempestivè nimiâve copiâ ingerantur. Si enim intempestivè, humoribus scilicet adhuc lentis necdùm dilutis, adhibeantur: nimiâ eos vi agitabunt, eoque aut febrem excitabunt, aut saltem majori quàm par sit momento in canales minimos & glandulas eos adigent; quibus obstructis alterius cujuspiam inflammatorii morbi periculum imminebit. Si autem nimiâ quantitate, etiam humoribus satis dilutis exhibeantur, ardorem æquo majorem accendent & hecticam fortasse febrim inducent: Humores certè salsuginosâ acrimoniâ, cui minuendæ atque ejiciendæ jam diu allaboratum est, denuò inficient. Quanquam fatear non tam vitiosæ malignæque indolis esse acrimoniam ab hisce simplicioribus & subtilioribus salibus ignis vi comminutis ortam, quàm ea est quæ crassis variéque compositis valentioris cibi potûsque spirituosi salibus debetur. Istis quidem è corpore ejectis cùm præ nimiâ insulsi fluidi ingesti copiâ (quâ tamen non ingestâ sales efferri non poterant) & humores vapescant & fibrarum vis motrix langueat: ipsâ experientiâ teste, volatilia

ista medicamenta justá mensurâ exhibita fibris stimulandis atque adeò humorum circuitui accelerando totique corpori quasi animando non parùm conferunt: sicut multùm aquæ fontanæ bibentibus utile esse potest vini aut calidioris cujusvis liquoris pauxillum, ne aqua nimio suo frigore & inertiâ intra primas vias inutiliter moretur efficiens. Neque tamen omnium volatilium medicamentorum unicam eam esse vim affirmo, quâ calefaciunt fibrasque stimulant. Agnosco enim in illis, præcipuéque gummosis, insignem etiam incidendi & attenuandi vim, quâ quicquid adhuc humoribus tametsi dilutis tenacioris materiæ innatat ita comminuitur ut cum tenuiore eorundem parte faciliùs commisceatur & in fluorem magis homogeneum coëat. Hoc insuper gummosa reliquis volatilibus præcellunt, quod præter jam dictas vires omnibus communes, ea in se contineant & salem & oleum præcipuam saponis materiam; quo fit ut humoribus corporis animati commista in saponem quadantenùs naturalem mutentur, quò efficacissimè everruntur sordes canaliculorum lateribus adhærentes diuturnitate temporis contractæ, quæ per morbos longos & languidioris humorum circuitionis & multorum canalium obstruendorum causæ fiunt. Qui autem medicamentorum smegma-

ticorum vim pleniùs intelligere velit, ille eximias, cùm in aliis morbis tùm præcipuè in ictero domando, eorum virtutes secum reputet, aut ex accuratissimis BOERHAAVII, immensâ eruditione viri libellis, grandium voluminum materiam complexis, eorum in tollendis obstructionibus efficaciam addiscat. Hoc tantùm inculco: Cum eximià calefaciendi vi polleant, nunquam illa priùs adhibenda esse quàm humores satis diluti fuerint; & ne tùm quidem nisi parcè eâque modò quantitate, quæ, habitâ ratione virium ægri, illi modicè calefaciendo satis sit; ne pleniùs ingesta morbo aliquatenùs jam devicto novas vires addant, aut ejus loco alium periculosiorem inducant. Hujus generis medicamenta potiora sunt sulphur vivum, flores sulphuris vulgares aut potius aquâ ferventi ter quaterve abluti & insulsi facti, quo vellicans eorum stimulus qui tormina intestinorum nonnullis efficit multùm retunditur, lac sulphuris, antimonium crudum & diaphoreticum; Testæ in pulverem contritæ, oculi cancrorum præparati, corallium, margaritæ; aqua calcis, aqua benedicta Batei; gummi ammoniacum, galbanum, myrrha, asa fœtida, castoreum, sal succini, sal cornu cervini, & similia. Ex his ego palmam tribuo floribus sulphuris, gummi ammoniaco, ca-

storeo & sali succini, utpote præ reliquis efficacioribus minùsque ingratis. Hujus autem classis medicamentorum usus tamdiu continuandus est quamdiu morbi protervitas, causarum eum producentium diuturnitas aut symptomata graviora requirunt. Fortasse non ineptum erit, imò prudentissimum reperietur, utramque medicamentorum classem conjungere & combinare, præsertim post debitam priorum medicaminum administrationem & circa tempus transitionis ab unâ ad alteram classem. Sed hæc omnia ad ægri naturam & symptomata urgentia pro Medici prudentiâ accommodanda sunt.

§. 18. Ultimæ denique intentioni, quæ est fibrillas, ex quibus solidæ corporis partes compositæ sunt, laxatas constringere, remissas intendere & corrugare, hæc medicamenta accommodata sunt: Cortex peruvianus, cortex eleutherii, glandes quercinæ, viscus arboreus, cinnamomum, calamus aromaticus, cortex exterior mali aurantii, & amara quæcunque, terra japonica, rhabarbarum torrefactum, pulveres testacei & quicunque absorbentes, vitriolica & omnia styptica, medicamina è ferro parata, & aquæ omnis generis chalybeatæ: Reliquis omnibus præstat cortex peruvianus quem à multis annis magno cùm suc-

cessu adhibeo in omnibus laxæ fibræ morbis, variis quidem formulis, sed quarum longè elegantissimam & efficacissimam puto istam quam mox descripturus sum quamque mecum communicavit doctissimus & ingeniosissimus amicus meus D. J. BURTON, Medicinæ Doctor, novi Collegii Oxoniensis Socius. Ea est hujusmodi. Corticis peruani optimi in pulverem subtilem contriti drachmas decem, calami aromatici unam drachmam, cinnamomi tantundem, corticis exterioris aurantiorum malorum drachmas duas & coccinillæ semidrachmam macera per biduum in vini albi Olysipponensis libris duabus & selibrâ. Liquorem deinde per filtrum transmitte. Hujus infusi tria aut quatuor cochlearia duabus ante prandium horis, totidemque eodem ante cœnam temporis intervallo epota ægro mirificè prosunt; si modò idoneo tempore, attenuatis nempe priùs humoribus, ut jamjam docuimus, exhibeantur, eoque magis si admisceatur infusi vitrioli martis post describendi pauxillum. Infirmissimis autem, quorum ventriculi ne vel hoc infusum ferunt, convenit vel decoctum corticis ex aquâ, vel pilulæ ex ejus extracto quod conficitur corticis eandem portionem ter aliâ atque aliâ aquâ decoquendo; quæ deinde evaporatione ad commodam spissitudinem

redigenda est; aut ex ejusdem resinâ eâdem ferè methodo ope spiritûs vini affusi elicitâ. Pilulæ hujus extracti aut resinæ duæ tresve infirmo ventriculo vinum ferre non valenti suprà propositâ tincturâ aptiores sunt.

§. 19. Medicamentorum è ferro paratorum quæ chalybeata vocantur, præcipuam facultatem eam esse puto quâ astringunt fibrasque corrugant. Ista facultas ipso gustu deprehenditur quem naturâ, ut optimè monet diligentissimus JOANNES FLOYERUS, Medicinæ Doctor, Eques auratus, destinavit investigandis & deprehendendis magis obviis iisdemque efficacissimis qualitatibus rerum intra corpus sive alimentorum sive medicamentorum specie admittendarum. Quod rationi maximè consentaneum videtur. Cùm enim linguæ & palati fibræ ejusdem sint naturæ & texturæ cujus sunt ductûs alimentorum reliquorumque per totum corpus vasorum fibræ: valdè probabile fit non dissimili modo medicamenta interiorum partium fibras afficere ei quo harum exteriorum fibras afficiunt. Et medicamenta quidem ferrata, corticem peruanum, glandem quercinam, rhabarbarum & vitriolata sentimus oris, linguæ & palati fibras constringere & corrugare. Et quod ad operationem hujusmodi medicamentorum in corporis interiores partes attinet, nota-

C v

bile eſt arteriam, quæ in febrium intermittentium paroxyſmis ictu inæquali nec uniformi in explorantis digitum impingit, quaſi ſi arenâ & ſabulo aquæ permiſtis repleretur, profligato jam ab aſſumpto cortice morbo pulſum dare æquabilem, integrum, uniformem, plenum. Quam mutationem nulli potiùs rei attribuas quam ei corticis facultati quâ ſanguinis particulas antea inæquales, has æquo lentiores craſſioreſque illas tenuiores & fluidiores, in unam æquabilem ſuique per omnia ſimilem liquorem compingit, fibriſque tonum & vim elaſticam amiſſam reddit. Præterea notiſſimum eſt tenuem exteriorem mali aurantii Hiſpalenſis corticem in pulverem contritum, aut etiam totum integrumque ipſum malum (cujus una notabilis facultas eſt, illi cum omnibus acidis amariſque communis, quâ validiſſimè aſtringit fibraſque corrugat) feliciſſimè mederi febribus intermittentibus puerorum; quorum nempe humores mitiores & blandiores & balſamo quodam naturali pleniores ſunt, nec ut ætate provectiorum ſucci ita vitiati & corrupti. Idem præſtat flos chæmæmeli: notiſſimum enim eſt ante advectum in Europæas regiones corticem peruvianum, febres intermittentes medicamentis, cujuſvis generis, amaris & chalybeatis profligatas fuiſſe. Chalybeata

autem ex eorum genere sunt quæ sanguinem sistunt. At hujusmodi medicamenta, vel sensu judice, exteriùs apposita leniorum causticorum ritu operantia fibras cutis crispant & corrugant: Similique modo gustûs organa afficere sentiuntur. Eodem etiam modo, fibrarum nempe non cutis tantùm sed & subjectorum musculorum contractione & corrugatione, stypticam suam vim exercet omphacium aut acetum. Pannulis enim horum utrovis calefacto madentibus illæ, articulorum luxatione aut chirurgicâ ad ossa fracta committenda extensione, supra modum distractæ, post immersionem in frigidam, utilissimè involvuntur. Ex unâ hâc facultate satis intelliguntur chalybeatorum effectus. Solidarum enim partium fibras crispando & corrugando easdem intendunt, vimque iis elasticam sufficiunt quâ confirmatæ eo humores motu ciere possunt ut integrum per minimos etiam quosque corporis canaliculos circuitum facilè absolvant. Quod cùm fit sanitas omnibus suis numeris perfecta expletaque esse videtur.

§. 20. In medicamentorum è ferro paratorum administratione dupliciter vulgò peccatur. Primò, cùm nimiâ quantitate exhibentur aut formâ crassiore & difficiliùs concoquendâ quam ferant ægri fibræ re-

missæ & infirmæ, lentique & crassi humores. Cùm nimiâ copiâ, præcipuè formâ solidâ, exhibentur, ventriculo molesta incumbunt, nauseamque, nonnunquam & vomitum excitant, aut intacta nec dissoluta cum fæcibus ejiciuntur. Imò, tristem eorum, rudiore crassâque formâ liberiùs ingestorum, effectum à testibus fide dignis accepi, cùm mole & pondere suo ventriculi fundo hærentia secessum sibi formaverant, proprio se involucro intexerant, ægroque tandem exitio fuisse videbantur. Manifestum est aquas chalybeatas quovis alio medicamento chalybeato operari efficaciùs: Et senibus, quibus Medici plerique ferri usum medicinalem interdixerant, aquæ thermarum potum mirando sæpe levamini fuisse est notissimum. Expertus scio sola levissima & tenuissima medicamenta ferrata, formâ liquidâ minimâque quantitate, præcipuè cum primò exhibentur, infirmarum fibrarum ægris convenire Hujus generis optimum videtur jamjam describendum medicamentum; quod mihi suggessit reverendus vir D. CURTIS, olim Medicus nunc sacerdotali munere nobilis, cujusque mirabiles sanè effectus sæpè vidi, præcipuè cum pari quantitate elixiris proprietatis paracelsi aut tincturæ corticum aurantiorum (prout hoc vel illud morbi status exigebat)

exhibiti. Est autem ejusmodi. Salis sive vitrioli martis unciæ in vas figulinum aut vitreum injectæ affunde aquæ ferventis libram. Postquam pulvisculus croceus subsederit, inclinato vase liquorem limpidum effunde, quem phialæ vitreæ inclusum asserva. Hujus cochlearium minimum aquæ poculo admistum & epotum præstantissimi usûs est in omnibus infirmarum fibrarum morbis & ubicunque medicamentis ferratis utendum est. Quibus fibræ tenerrimæ sunt, omnia ex sale parata medicamenta alvum nimis solvunt & intestina irritant. Ideoque iis, post ablutos alimentorum ductus, aptiùs congruunt crocus martis astringens, cum stomachicis & astringentibus propriè sic dictis. Magno etiam ægri commodo minimum hujus cochlearium immiscetur præscriptæ dosi tincturæ corticis peruviani superiore paragrapho descriptæ. Præstat autem illud liquori cuivis idoneo instillatum seorsim bibere ne prioris colorem jucundissimum Burgundici vini æmulum (cujus gratiâ tincturæ Burgundicæ nomine eam insignio) in atrum convertat. Infusum modò descriptum si comparaveris illi infuso quod ab aliquot jam annis Londini venditant spiritûs chalybis aperientis nomine; vix, credo, censebis hæc duo

quidquam inter ſe differre, niſi aquæ quantitate qua ſal diſſolvitur.

Secundum erratum eſt chalybeata medicamina, præſertim ipſam ferruginem, calidis aromaticis miſtam præproperè exhibentium antequam ſcorbuto calentium aut cachecticorum, aut eorum qui intemperantiùs vixerant humores ſatis diluti & attenuati fuerint. * SYDENHAMUS acri alias judicio Medicus chalybeata medicamenta ſine catharticis exhibenda putat. Malè me judice. Etenim hæc illis præmittenda eſſe cenſeo, priùſque inteſtina ſordibus ſuis purganda, lacteorumque vaſculorum oſcula detergenda & aperienda, humoreſque diluendos & attenuandos, quàm chalybeata exhibere audeas. Quæ niſi fierent ſemper obſervavi à medicamentis chalybeatis ingeſtis corpus plus æquo incaleſcere, caput tentari, ægro anxio ipſum cor laborare (quod ex pulsûs arteriæ quaſi luctâ & niſu irrito dignoſci) hiſque ſimilia fieri quæ molæ aquaticæ nimiâ aquæ copiâ non jam ampliùs in gyrum rotatæ ſed obrutæ & impeditæ accidunt. Sed hæc cùm ſupra expoſuerim, pluribus ſuperſedeo.

§. 2. Diligenter autem hîc notandum eſt, ægro nervorum magno aliquo & inve-

* Diſſert. Epiſtolat. P. 146.

terato morbo laboranti, nisi fibræ primitùs firmæ sanæque fuerant aut si vires vergente jam ætate insigniter collapsæ sint, plenam sanitatis in integrum restitutionem nequaquam esse expectandam. Quæ cùm diuturnum & tædii plenum variorum medicamentorum usum, victumque maximè abstemium atque adeò plerisque ingratum & difficilem postulet: Aut non perstabit æger in proposito, aut morbus diuturnitate temporis altiores egerit radices quàm quæ penitùs evelli possint, aut exiguum quod superest vitæ spatium non tanti videbitur ut ejus causâ tam durum perferre laborem æquum sit, viamque satis asperam ingredi è quâ deinceps pedem imperfecto itinere referre non sit usquequaque tutum. Nam si quis ab incepto tramite deflectat, nec ad finem usque perduret, singulasque intentiones supra memoratas per idoneum temporis spatium prosequatur; prioribus intempestivè relictis aut perfunctoriè curatis molestiora symptomata augebuntur, nedùm remittent. Medicamenta enim per duo priora curationis stadia usurpanda junctusque his abstemius victus, corpus humectando, evacuando & alimenta subtrahendo fibrarum debilitatem & laxitatem augebunt potiùs quam eidem medebuntur. Unde primo intuitu ægri res pejore, saltem non multò meliore loco esse

videbuntur, quàm quo priùs fuerant, usquedum ad tertium stadium progressus fuerit, in quo curationis apex consistit. Imo illis etiam qui partialem tantum & palliativam curam ambiunt per omnia tria præmonstrata stadia progrediendum est, eademque medicamenta adhibenda sunt, etsi minor accuratio sufficiat, nec eorum usum per tam longum tempus continuare opus sit. Istum igitur integræ sanationis curriculum ingredi debent soli juniores aut consistentis saltem ætatis ægri, à primâ origine sani, quibusque ex acutis morbi nervorum succreverint, quique eos ipsi sibi incauto aut intemperanti victu acciverint, neque à morbidis parentibus hauserint. Aliis partialis aut palliativa quam vocant cura satis erit: sufficietque symptomata mitigare & vitam reddere tolerabilem. Quod prudenti prædictorum medicamentorum delectu & victûs præscripti usu per non longum tempus adhibito certissimè obtinetur, nisi viscera immaniter corrupta sint, aut lethalis aliquis morbus, morbum laxis fibris debitum comitetur. At verò integram perfectamque fieri posse morborum laxæ fibræ curationem expertus audacter affirmo; cùm plures etiamnum supersint non infimi ordinis viri qui consilia mea secuti vitam miseram & vix tolerari dignam sa-

nâ, lætâ, hilari, morbis immuni mutârunt.

§. 22. Ex supradictis manifestum est, in omnibus nervorum morbis, post institutam debitam evacuationem quâ symptomatum vis aliquo usque frangatur, principem in curatione locum obtinere victum tenuem ciborumque emollientium & humectantium usum: Nonnunquam & hæc sola sufficere. Fibrarum enim morbis, adultorum præcipuè, iisque quos ipsi sibi ægri acciverunt nec nascendi sorti acceptos referunt, essentialis est humorum lentor & sive aciditas sive acrimonia, fibrarumque debilitas, flacciditas & laxitas. Et cùm ex horum duorum conditione pendeat omnium actionum animalium vis & vigor: His vitiatis languidè segniterque procedet alimentorum concoctio, sanguinis circuitio, ejusdem in pulmone comminutio sive quam aliam mutationem ibi subit, secretiones omnes & materiæ perspirabilis expulsio. Quare quibus debiles fibræ sunt, si lauto & opiparo victu pleniùs sibi indulgere solenne fuerit, illis lymphaticæ arteriæ, glandulæ internarum præcipuè partium, omniaque secretionis organa aliquatenùs obstruentur, intumescent, officioque suo non ultrà sufficient, ipsaque natura obruta fatiscet. Tenuem autem victum minúsque sapidum &

palato gratum si quis ideo ventriculo minùs etiam gratum futurum, & propterea nec vitæ usibus sufecturum timeat: ille cogitet, quamdiu vita durat ejusque actione multum corporis substantiæ deteritur, illud autem damnum resarcire necesse, appetitum non defuturum & ventriculum salubria quævis alimenta etiam minùs curiosé condita avidè amplexurum, concocturum, bonoque inde educto succo corpus refecturum. Quæ quamdiu fiunt, ne delicatissimis quidem fame pereundi periculum imminere. Morbis igitur nervorum laborantibus cùm omnes functiones animales langueant: nullis medicamentis humores attenuare & comminuere eorumque acorem aut acrimoniam lenire aut fibris vires suas reddere speres; nisi pro pleno & luxurioso victu & vim coctricem superante, parcum, tenuem, simplicem & facilè concoquendum substituas. Medicamenta quidem prudenter usurpata curationis tempus in minus spatium contrahunt. Sed usque adeo valet hisce in morbis victûs ratio ut eum, solâ evacuantium commodo tempore & prout symptomata exigunt exhibitorum ope adjutum, eorundem curationi sufficere posse putem. Victûs autem regimen ejusque insignem ad morbos cùm avertendos tùm sanandos vim, qui volet, ex præcedenti de sanitate tracta-

tu alioque, quem de arthritide conscripsi, discat.

§. 25. Jam traditam de nervorum morbis doctrinam particularibus aliquot cujusque generis præcipuis casibus applicemus, ejusdem cùm illustrandæ tùm confirmandæ causâ. Prima se quærenti offert apoplexiæ, immanis morbi, altera species. Duæ enim sunt. Quarum altera, australibus regionibus calidioribus familiaris, cerebri aut membranarum illud succingentium inflammationi aut canaliculo cuipiam intra cranium rupto, debetur. Cujus sanandi si qua uspiam spes superest: ea tota in sanguinis missione & refrigeratione posita est. Altera, proprium borealibus nostris regionibus malum, humorum lentori, arteriarum lymphaticarum sive serosarum, plerarumque glandularum aliorumque secretionis organorum obstructioni ortum suum debet. Quibus unà omnibus undique nervos circumprimentibus præcipuèque intra cranium, liberamque earum undulationem impedientibus, ægro unà sensus, intellectus &, qui ab hoc pendet, motus localis perit. Hæc gulosis & luxuriosis plerumque accidit, morbisque quibus solennis est metastasis (quales sunt rheumatismus, colica, arthritis, &c.) obnoxiis. Ista autem omnia humorum lentorum attenuationem & segnium

excitationem postulant. Quæ duo primâ posuimus in morbis nervorum curandis. Quibus tamen meminisse oportet præmittenda esse medicamenta quæ diximus evacuantia: illorumque & stimulantium præcipuè usu ægrum à paroxysmo liberandum. Nam apoplexiæ nomine (quod monere decet) hîc non paroxysmum tantùm intelligimus, sed eam morbidam corporis dispositionem quâ tali paroxysmo facilè obnoxia est, qualisque paroxysmum semel aut sæpiùs passo esse solet. Hic autem morbus cùm ætate provectis plerumque accidat, quibusque penitiùs corrupti sunt humores fibræque enervatæ, minimumque vitalis fomitis superest: quoscunque eo correptos mihi contigit videre, iis sola palliativa cura erat speranda. Quare cùm nihil quidquam majoris momenti à propriâ meâ experientiâ deductum occurrat, & aliena compilare non libeat: plura hâc de re scire cupientes ad solertissimi WEPFERI tractatum *de Apoplexiâ* remitto.

§. 24. Epilepsia vix aliter ab apoplexiâ quam gradu differt hâcque unâ præterea re quòd epilepticis omnibus spuma os obsideat. Quod convulsionem monstrat; at debilem: Oppressæ enim vires majori & validiori ciendæ non sufficiunt. Epilepsia igitur, quâtenus ab apoplexiâ leviore dif-

fert, convulsivis nervorum morbis accensenda est. Convulsio verò quid sit ut ostendam, repetendum est ex præcedenti tractatu omnem spasmum aut convulsionem non aliud esse quàm naturæ conatum acris cujusvis & vellicantis succi aut auræ aut cujusvis materiæ noxiæ è corporis cavitatibus ipsisve carnibus violentâ idoneorum quorumcunque organorum contractione, cùm aliâ ope eliminari non possit, ejectionem molientis: Ut in risu, tussi, sternutatione, vomitu sive à dolore nephritico sive à bile aut pituitâ aut etiam flatibus ventriculo molestis orto, parturientium nixibus, paroxysmis hystericis, hypochondriacis & epilepticis, omnibus denique convulsivis nervorum morbis ostendi. Epilepticis autem ita oneratæ obrutæque sunt fibræ ut infirmis omninò nisibus mali ejectionem moliantur, vixque fortioribus iis quos ipsa cadavera fermentationis & mechanicæ suæ texturæ vi exerere vidi; Cadavera scilicet, eorum qui in ipso mortui sunt paroxysmo eoque non ita quidem subitaneo ut aut apoplecticus aut epilepticus dici mereretur, sed qui epileptico tamen propior esset & quem non impropriè paroxysmum hypochondriacum lethalem diceres. Vidi, inquam, gulosos quorumque corpora crassis, viscidis & indigestis humoribus ex perpetuâ

intemperantiâ natis erant differta ex hujusmodi paroxyſmo mortuos quorum cadaveribus incluſi acres flatus crudique ſucci, poſtquam & arteriæ pulſus & reſpiratio ceſſaverat, ita abdominis œſophagi fauciumque muſculos vellicarunt, ut ſpaſmis & contractionibus correpti cum ſtrepitu impura multa fœdaque eructarent. In omni igitur ſpaſmorum & convulſionum genere nullum præſentius video remedium vomitione, validiori aut leniori prout res poſtulare videtur pharmaco excitandâ, quâ primùm æger incumbente onere ſublevetur, quâque poſteà repetitâ paroxyſmus prævertatur, cùm ejus inſtantis ſigna ſe oſtendunt, aut priùs etiam, quò certiùs præoccupes. Huic ſuccedunt idonea victûs ratio aliaque ſanitatis inſtrumenta & adminicula præcedenti, & medicamentorum ordo hoc tractatu deſcriptus, quibus morbo fomes ſubducitur noviſque acceſſionibus aditus intercluditur. Hâc ratione jam ſæpè mihi dictus Medicus Croidonenſis epilepſiam profligavit; poſteaque ſanitatem integram per quatuordecim totos annos ſolius lactis eſu conſervavit: Adhibitis nempe primò medicamentis qualia jam deſcripſi, quibus curationis quidem tempus abbreviatum eſt, ſed quæ integrum tamen ſuum effectum non ediderint niſi tenui hocce victu adjuta quo

obtundebantur acrium humorum spicula. Eadem ego ratione epilepticam puellam nobilem sanavi, jam dictorum nempe medicamentorum ope & victûs tenuis quidem, sed illius Medici victu aliquantò plenioris: quem tamen an postmodum intermiserit nescio. Puerorum convulsiones quod attinet, eæ universim sanantur leni evacuatione, qualem eorum anni viresque ferunt, absorbentium & edulcorantium pulverum usu, cinnabari antimonii ad aliquod tempus exhibitâ, victu tenui, moderato exercitio & perenni humorum acrium & superfluorum derivatione fontanellæ aut vesicatorii ope factâ; si modò viscera sana sint nec spasmi & convulsiones gravioris alicujus morbi symptomata sint.

§. 25. Rarus quidam morbus est ex convulsivorum genere de quo vix quidquam notatu dignum memini me legisse, & quo laborantes tres tantùm ægros vidi. Quibus volupe est morbos per classes digerere ii hunc ad satyriasin referant, quam omnes systematum conscriptores commentationibus suis intexuerunt. Ex quorum tamen descriptionibus satyriasis (è lue venereâ natam utpote satis notam hic non attingo) ex inflammatoriorum morborum genere esse apparet, & junioribus, habitioribus & præsertim libidinosis, libidinique suæ liberiùs

etiam indulgentibus, accidere: Cùm hic, è contrà, de quo loquor, infirmorum morbus fuerit, debiliumque & laxarum fibrarum hominibus; tardèque & imperfectè alimenta concoquentibus, hypochondriacis, acribus flatibus diſtentis, animoque dejectis moleſtus, rarò interdiu ſed nocte præcipuè ſtatim atque ſtragulis incaluerunt invadens, quo tempore vehementem penis inflationem & tenſionem ſentiebant, quaſi ſi quis eum magnâ vi avellere conaretur, nec libidinis tamen œſtro ciebantur, intenſiſſimo dolore omnem laſcivæ cupidinis ſenſum excludente, cujus ſpecies eorum animis odioſa, nedùm grata, obverſabatur. Unicum iis doloris levamen erat lecto exilire frigidoque ſe objicere aëri; unde ſtatim ſubſidebat inflatio. Quare convulſivus mihi videtur morbus, neque ab aliorum membrorum ſpaſmis, familiari & notiſſimo malo, differre. Atqui illud præcipuè membrum hujuſmodi ægris ſpaſmo corripitur propter majorem forſan ejus fibras irritandi facilitatem ex earum fabricâ ortam, ipſorumque ægrorum culpâ aut imprudentiâ faciliorem factam. Præter dolorem ex convulſione provenientem adeſt & aliud eorum valetudini maximè damnoſum, quòd ſcilicet morbi acceſſio eò præcipuè tempore fiat, quo ſtragulorum calore molliter

liter fotis somnus obrepere incipit, quem è lecto exilire coacti interrumpunt, adeò ut neque eorum corpora idoneâ requie reficiantur & appetitus illlis cibique digestio langueat, paucarumque hebdomadum spatio spectris quam hominibus similiores facti, somni capiendi causâ quidquam aut facere aut perferre parati sint; qui quidem non usque adeo facilè arcessitur, cùm opiata morbum potiùs augeant, quod & faciunt omnia calida & cardiaca medicamenta. Ejus ego curationem morbo convulsivo convenientem institui, emeticis lenioribus pro re natâ, cum nempe morbus recrudescere cœpit, repetitis, lactis sulphuris, æthiopis mineralis & cinnabaris antimonii longo sex mensium usu, at breviore imò parcissimâ volatilium medicamentorum, florum putà benzoini & salis cornu cervini exhibitione, victu tenui in longius tempus protractò, nempe tribus tantum quatuorve carnis unciis in singulos dies, vinique rubri pauxillo aquæ Bristoliensi misto, postremò peruano & exteriore malorum aurantiorum cortice vitriolique martis paucis aliquot granis. Istis medicamentis istoque victu, modico exercitio, frequenti in frigidam immersione, aliisque instaurandæ sanitatis instrumentis præcedenti tractatu descriptis intra biennium, è tribus quos dixi ægris duos per-

fectæ integræque ſanitati reddidi. Tertius qui, quòd ætate provectior eſſet, curationis laborem & tædium perferre nolebat, quanquam morbi ſui ſymptomate moleſtiſſimo liber plerumque degat, facilè tamen, ſiquando pleniori victu pauliſper ſibi indulſerit, in eum relabitur.

§. 26. Alia præterea eſt convulſionis ſpecies, quâ qui laborat nec agitatur, nec ferè movetur, aut, ſenſu judice, ullo ſpaſmo corripitur; ſed ſtipitis aut ſaxi inſtar riget & immotus quieſcit, omni ſenſu privatus, languidè reſpirans, debiliter interim pulſante arteriâ. Hîc omnes ſimul muſculi extenſores convelli videntur, ſpaſmique ſingularium aliquot muſculorum, qui plerumque paroxyſmi initia faciunt, per reliquos diffundi totumque ſimul corpus occupare. Durante paroxyſmo æger fovendus, fricandus, veſicatoriis aliiſque ſtimulis urgendus eſt, quibus poſt aliquod tempus excitatur. Eſt hoc familiare Americæ colonis malum. Sed cùm iſta, tùm alia ejuſdem matris, colicæ nempe pictonum, proles, artuum ſcilicet paralyſis, ſupradictâ curandi ratione certiſſimè fugantur, præcipuè ſi & accurato ſimul tenuique victu utatur æger & aqua thermarum ſe lavet eandemque bibat.

§. 27. Paralytici generis morbi cùm gra-

du tantùm aut membro affecto aut ægri constitutione aut ætate differant: traditâ horum unius alicujus curatione reliquorum inde curatio satis intelligeretur. Sed cùm in tractatu de arthritide, choreæ sancti viti iisdem medicamentis eâdemque methodo quam hîc descripsi curandæ rationem ostenderim: illa ipsa quæ ibi dicta sunt huc transferam. Sunt autem hæc.

» Hîc non incommodum erit hanc cu-
» randi methodum" [quæ, scilicet, evacuantibus, deinde attenuantibus, tandemque astringentibus perficitur] » particulari
» fibrarum relaxatarum casu illustrare, qui
» quanquam infrequentior, tristi tamen as-
» pectu suo notabilis est, & cujus nus-
» quam, quod sciam, tradita est curatio
» æque ac jamjam tradenda facilis; quam
» cùm adhiberem nunquam me fefellit spes,
» quemcunque eo morbo laborantem cu-
» randum susceperim, ab eodem in inte-
» grum liberandi, quod qui testentur etiam-
» num aliquot supersunt. Choream dico
» Sancti Viti, quâ laborantem ægrum ju-
» niorem cæteraque sanum (aliàs enim præ-
» mittenda erat cachexiæ propria curandi
» methodus supra tradita) sic tractare con-
» suevi. Ut primæ intentioni satisfacerem,
» emeticum præscripsi, vinum nempe be-
» nedictum cum infuso ipecacuanhæ, aut

„ tartarum emeticum cum pulvere radicis „ ipecacuanhæ (propter ipecacuanham sci„ licet certiùs citiùsque vomebant, propter „ vinum aut tartarum validiùs) aliquoties, „ usquedum morbus declinare cæpisset, sta„ to per singulas hebdomadas die, postea „ verò longioribus intervallis repetendum; „ simulque diætam anticachecticam supra „ descriptam. Ut secundæ intentioni satis„ fieret, æthiopis mineralis, cui superbiben„ dus erat haustus aquæ thermalis, plenio„ rem dosin præscripsi in singulos dies a vo„ mitione vacuos per mensem aut sex heb„ domadas adhibendam. Quo stadio decur„ so, tandem, ad tertiam intentionem asse„ quendam, electuarium exhibui quod in„ grediebantur cortex peruvianus, cortex „ aurantii exterior, glans quercina & cro„ cus martis astringens; interiorum partium „ fibris firmandis: Utque exteriores fibræ „ simul intenderentur, frigidarii usum al„ ternis diebus præcepi. Totius autem cu„ rationis spatium raro tres menses exce„ debat."

Unum præterea de morbis paralyticis monitum addam. Quibuscunque nempe à primâ origine fibræ debiles fuerint si vel paullùm genio suo indulgere assueverint & inclinante jam ad senium ætate morbis paralyticis tentari cœperint: his nec perfe-

ctam ab iisdem immunitatem nec quidquam præter curationem palliativam esse expectandum; vitâque quousque licet fruendum esse. Similia de se dicta putent morborum acutorum tardioribus consumpti, sive lentis febribus supra expositis obnoxii. Temperantiori è contra victu utentes, etiam ætate provectiores, paucis quibusdam supradictorum medicamentorum nec violentis nec diu usurpatis vidi integræ sanitati redditos fuisse, cùm scilicet paralysi correpti fuerant, non ex corporum suorum morbidâ dispositione, sed ex infortunio aliquo, ut frigore violentiori, natâ.

§. 28. Rachitidem, morbum pueris maximéque Anglis familiarem, imperiti quidam Medici convulsivis accensent: cùm fibrarum insigni remissioni manifestè debeatur. Ea autem à crasso, justoque pleniùs ingesto sive lacte sive alio quo nutrimento, & jactationis, agitationis aut qualiscunque exercitationis, teneris etiam pueris & vel temperantissimè viventibus necessariæ, defectu oritur. Quâ posteriore præcipuè de causâ alimentum inæqualiter distribuitur, partesque corporis ad quas per plures aut ampliores canales liberior aditus patet, ut caput & imum ventrem, majori, alias minori copiâ rigat. Unde partium inæquale etiam oritur incrementum; hinc nata ner-

vorum compreſſio eorum motus ſiſtit & oſcillationem intercipit fibrarumque harum majorem, illarum minorem tenſionem efficit. Unde fit ut oſſa adhuc mollia, à naturali ſuo ſitu inflectantur, cùm continuâ & perpeti vi premantur. Ex dictis autem cauſis hunc morbum oriri & à fibrarum relaxatione pendere oſtendunt cùm morbi ſymptomata glandularum nempe omnium corporis partium tumor, ægrique languor & ſtupor, membrorumque torpor; tùm præcipuè curationis ratio quæ, niſi viſcera corrupta ſint aut fibræ penitùs reſolutæ aut lethalis morbus hydrocephalus occupaverit, victu tenui, levi, facilè concoquendo, idoneâ corpuſculi agitatione, lenique evacuatione, emeticis, catarthicis, veſicatoriis aut clyſteribus prout ægri vires ferunt aut ſymptomata exigunt factâ, & (quod nondùm vulgo innotuiſſe puto) continuato per idoneum tempus peruviani corticis eâ formâ quæ puero maximè convenit, exhibiti, lenioriſque alicujus medicamenti chalybeati (tincturæ puta antiphthiſicæ aut infuſi è vitriolo martis ſupra deſcripti) uſu; frequenti denique & diu continuatâ immerſione in frigidam nunquam non perficitur. Horum autem priora victûs intemperantis vitiis medentur, poſteriora fibris remiſſis & laxatis conſtringendis & corrugandis inſerviunt.

§. 29. Hystericum & hypochondriacum malum, animique dejectionem horum comitem in tractatu de arthritide satis explicui his quæ sequuntur.

» Hinc etiam addiscimus veram & pecu-
» liarem morborum nervinorum, flatuum,
» affectuumque hypochondriacorum & hy-
» stericorum naturam & originem; ex in-
» debitâ, scilicet, laxitate, remissione, de-
» fectu tensionis commodæ aut elasticæ vir-
» tutis filamentorum sive fibrillarum, qui-
» bus solidæ corporis partes constant, sive
» hæc naturali infirmitati sive ignorato aut
» etiam neglecto idoneo victûs regimini,
» & corporis exercitationi debeatur. Quod
» ut fiat manifestiùs, supponamus solida-
» rum partium fibras remissas, laxas, debi-
» les esse, victûs interim regimen negligi,
» nec exercitationis curam geri: Unde hæc
» sequentur. 1. Coctio fiet alimenti imper-
» fecta in chylum crassum & viscidum.
» 2. Ventriculi, atque intestinorum glandu-
» læ per interiores eorum tunicas dispersæ,
» pituitâ, bile, aliisque crudis distentæ gra-
» vabuntur. 3. Unde effluvia halitusque ma-
» li moris, acres acidivè perpetuò versus
» cerebrum ascendentes, aut ventriculi fi-
» bras vellicantes capitis dolorem, vertigi-
» nem, animi dejectionem inferent, ner-
» vorum functionem usitatam impedient,

» falſaſque & fallaces rerum imagines phantaſiæ ſiſtent. Eſtque hic primus morborum nervinorum gradus, ſeu morbus hypochondriacus, cujus cauſæ intra alimentorum ductus continentur. Sed harum cauſarum operatione continuatâ, & neglectis remediis convenientibus, cùm tractu temporis illi fumi, effluvia, halitus, vapores per lactea cum chylo viſcido & non cocto in ſanguinem & humores inferuntur, nec perſpirabilis materia, præ viſcoſitate, per proprios ſuos ductus cutaneos ejici, nec aliæ ſecretiones modo debito fieri poſſunt. Ex ventriculi & inteſtinorum ſtatu ſequetur appetitus deperditus, ructus acres & acidi, cardialgia perpetua, bilis viridis aut nigræ vomitus, nervoſa quam vocant colica, & Aſthma, tandemque lacteorum obſtructio totalis, aut partialis, indeque macilentia, phthiſis, mors.
» 2. Ex humorum viſciditate ſequetur eorundem circuitus per vaſorum truncos eorumque ramos majores ſolos, extremarum partium algor, & frequens ſenſatio quaſi aquæ frigidæ corpori irroratæ, perque ejus ſuperficiem fluentis, artuum dolores erratici, quales in rheumatiſmo frigido, propter crudos humores, & minima vaſa obſtructa, tumores denique flatuoſi & albi in articulis præcipuè partium

» extremarum. 3. Ultimò denique, cum
» jam acres illi halitus per glandulas, aut
» vasorum minimorum latera viam sibi fe-
» cerunt in cavitates cerebri, musculorum
» interstitia, interque eos & membranas
» easdem succingentes, sequetur cephalal-
» gia gravis, & perpetua, continua verti-
» go, lancinantes & pungentes dolores su-
» pra oculorum orbitas, paroxysmi hyste-
» rici, convulsiones, epilepsiæ; apoplexiæ,
» hortendaque illa ærumnarum, & crucia-
» tuum turba, cujus fere agmen claudit ali-
» qua mentis alienatio, pro vario ægri tem-
» peramento varia, horror & desperatio
» miserum ad suicidium sollicitans, vel de-
» nique mors omnium miseriarum finis. Ra-
» rissimè tamen huc miseriæ devenitur nisi
» longâ & obstinatâ, circa omnia remedia
» & sanitatis instrumenta, incuriâ, sive
» ipsius ægri oscitantia, sive amicorum ejus
» neglectu. Certum etiam est primos hujus
» mali gradûs originem suam posse debere
» hæreditariæ aut ab ipsâ nativitate tractæ
» solidarum partium debilitati, violentæ
» alicui evacuationi, aut enormi cuivis ani-
« mi affectui, quem æger avertere nequi-
» verit, & propter quem minimè culpan-
» dus sit. Sed hypochondriaci mali ab ipso
» ægro accersiti, quale vulgò cernitur, cau-
» sæ, his sacræ scripturæ verbis breviter in-

» dicantur ; desidia, omniumque rerum ad
» victum necessariarum affluentia, hæc, sal.
» tem intemperanter usurpata.

» §. 30. Ex hâc morborum nervinorum
» ætiologiâ manifestum est quamcunque
» evacuationem, præter lenissimam, eorum
» curationi officere. Lenia quidem vomito-
» ria utpote mundantia ventriculum & in-
» testina, sed præcipuè quod nervos ab omni
» extraneo corpore liberent, & perspira-
» tionem augeant violentis musculorum &
» membranarum interiotum contractioni-
» bus & convulsionibus : vesicatoria item,
» quia vasorum minimorum obstructiones
» aperiunt efficaciâ suà externâ, & internâ,
» humores viscidos attenuant : utrumque,
» inquam, hoc evacuantium genus, non tu-
» tò solum sed & utilissimè adhibetur in
» nervorum morbis curandis. Sed omni vio-
» lentâ purgatione, & liberali sanguinis
» missione religiosè abstinendum est : utpo-
» tè quæ originalem imbecillitatem augent ;
» ab infirmis enim morbo diuturno laboran-
» tibus purgans medicamentum trium ferè
» dierum nutrimentum aufert, avehitque.
» Vomitoriis, è contra, cruda sola reji-
» ciuntur quæ capiti, nervisque officiunt
» halitibus suis, ægroque omnium malo-
» rum causæ sunt. Cathartica fibras orga-
» norum naturalis & necessariæ functionis

» scilicet concoctionis, resolvunt, & debili-
» tant: Cùm emetica è contrà, non nisi
» musculares fibras minùs usitatas, ex se
» robustiores nec ad coctionem adeò neces-
» sarias (si tamen ullas) debilitant, ut ex
» D. Chiraci experimento circa vomitionem
» satis patet. purgantia plerumque ea sola
» ejiciunt quæ procedente tempore ipse na-
» turalis motus intestinorum perisstalticus
» protruderet, nec ea attingunt quæ non
» nisi contrario motu, sursum scilicet, eli-
» minantur. Cùm vomitoria ea rejiciant
» quæ natura rejici cupit & quasi gestit,
» idque eâ viâ, iisque organis quibus illa id
» fieri postulat. Denique acres, acidique
» humores intra ventriculum & intestina
» stabulantes, utrumque necessario magis
» debilitant quam vel lenia vomitoria, vel
» etiam purgantia: quæ tamen hoc inter se
» differunt, quod purgatione, etiam leni,
» sive naturali, sive arte excitatâ, diutius
» continuatâ, infirmis & vires fatiscant &
» caro absumatur: a vomitione, è contrà,
» etiam quotidianâ plurium mensium inter
» navigandum, æger duorum triumve die-
» rum spatio postquam terram tenuerit re-
» ficitur, majores solito vires animique ala-
» critatem acquirit. Hinc est, quòd infirmi
» morbis diuturnis laborantes vomitione
» tantoperè leventur, & erigantur; purga-

» tione, è contra, præsertim drasticis me-
» dicamentis excitatâ, adeò deprimantur.
» Quicquid præterea his in morbis sanandis
» sperandum est, accurato victu, cujusque
» mensura sit sola meraque naturæ necessi-
» tas, & coctionem juvantibus (ubi primæ
» sunt partes corticis peruviani & ferri, qui-
» bus fibræ certissimè roborantur) leni &
» quotidianâ exercitatione quâ perspiratio
» promovetur, aromaticis, amaricantibus,
» & quibusvis denique medicamentis ani-
» males functiones roborantibus perfici-
» tur.

» §. 31. In nervorum, cephalicis, hy-
» stericis, & hypochondriacis affectibus ni-
» hil efficitur, nisi accurata victûs ratio ha-
» beatur, ut non nisi facillimæ coctionis
» nutrimentum, idque minimâ quantitate,
» adhibeatur. Cujus rei ratio hæc est. Uni-
» verso nervorum systemate partiumque so-
» lidarum fibris laxatis, necesse etiam est
» coctionem debilem esse, circuitionis hu-
» morum vim, & perspirationis quantita-
» tem minui, Quare nutrimentum difficilis
» coctionis, aut cujusvis nutrimenti nimia
» quantitas, major scil. quàm quæ a ven-
» triculo concoqui, a lacteis admitti, aut
» vitæ actionibus impendi possit, necessa-
» riò cruda, & indigesta manet adeoque
» putrescit intra ductus alimentorum, chy-

» lusque inde genitus crassus viscidusque fi-
» bras onerabit, inertesque, & voluntatis
» imperio immorigeras reddet & vitæ usibus
» ineptas, quæ ideo irregularibus convul-
» sivisque motibus ciebuntur. His morbis
» laborantes aliquoties vidi à cibo durio-
» ris coctionis, aut quovis nimiâ quantitate
» devorato, minimave in liquorum spiri-
» tuosorum usu intemperantiâ, tantùm non
» extrema passos, non alitèr confiictari
» quam si in mortis confinio positi essent.
» Neque horum quenquam perfectè sana-
» tum vidi, nisi qui aptis medicamentis ac-
» curatum tenuemque victum conjungeret,
» carnisque minimum, idque albentis &
» animalium non adultorum, piscium mi-
» nus, minusque adhuc liquorum spirituo-
» rum adhiberet. Hocque victûs regimine
» (junctis lenibus vomitoriis, paucis aliquot
» catharticis stomachicis, levitèr amarican-
» tibus, aquis mineralibus, & equitatione)
» plus efficitur quam totâ pharmacorum
» officinâ devoratâ. Notatu dignissima est
» historia insignis Medici Croydonensis nu-
» per mortui. Diu ille morbo caduco la-
» boraverat; identidemque cùm primùm
» medicinæ praxi se daret, de equo in iti-
» nere ad ægros visendos proficiscens, de-
» ciderat, & plaustro fortè prætereunte do-
» mum reportatus fuerat. Frustra, ut ipse

» mihi narravit, omnia expertus remedia,
» quæ vel ipſe excogitare poterat, aut ami-
» ci Medici ſuadere; diuturnâ tandem ex-
» experientiâ deprehendit, quanto parciùs
» vixerat, tanto minùs acerbis ſe premi
» paroxyſmis. Deindè, omiſsâ omni præ-
» ter aquam meram potione, magis adhùc
» ſenſit paroxyſmorum impetum frangi,
» atque intervalla augeri. His gradibus cùm
» in eam cognitionem perveniſſet, morbum
» ſuum remittere prout ſubſtrahebatur ejus
» fomes, non tantùm aquam meram bibe-
» bat, ſed & herbas ſolas edebat. Quo fa-
» cto etſi morbum penitùs devictum ſenſit,
» ventriculum tamen flatibus moleſtè diſten-
» di expertus eſt. Quare poſt varia facta ex-
» perimenta ad convenientius ſibi nutri-
» mentum inveniendum, tandèm in eo per-
» ſtitit, ut quatuor quotidie lactis vaccini
» libras; in jentaculum & cœnam ſingulas,
» in prandium duas adhiberet, neque un-
» quam carnem, piſceſve attingeret, ullum
» liquorem ſpirituoſum deguſtaret, aut
» aliud quidquam præter unam fontanam
» aquam biberet, ne vel hanc quotidie ſi-
» tiens, aut unquam niſi per æſtatis calo-
» res, aut poſt diuturniorem exercitationem
» uſurpans. Deinceps quatuordecim annos
» vegetus egit, integris viribus & illiba-
» tâ ſanitate, niſi quod ſemel eum per

» Essexiæ paludosa equitantem intermit» tens febris invasit, quam tamen statim » masticatione corticis peruviani profliga» vit. Ad postremum, gelidâ tempestate » cum super lecto humenti cubasset, fri» gore correptus est, quod in pluritidem » desiit. Cujus sanandæ causâ sanguinis mis» sionem celebrare cùm omisisset (nimium » scil. corporis sui salubritati fidens, quam » non tantùm morbos non inducturam sed » & aliundè illatis solam obstituram spera» bat) intra paucos dies periit; alioqui, ut » credere fas est, Cornari annos numeratu» rus & mente & corpore anus. Hunc qui» dem epilepsia premebat, sed cùm omnes » nervorum morbi totidem sint ab eádem » radice rami, communemque habeant pro» sapiam; hâc historiâ quàm miranda in eo» rum quocunque victus regimen pruden» dentèr institutum efficere possit, satis » monstratur. Simili ipse successu regimen, » minùs quidem accuratum, sed tenuè ta» men & perpetuò tenore æquale, adhi» bui."

§. 32. His sic, ut videtur, satis explicatis unam præterea hic observationem addam. Horum nempe morborum diversam esse rationem prout vel hæreditarii sunt & à parentibus infirmarum fibrarum traducti, vel symptomatici & ægri ipsius culpà acciti. Si

prioris generis ſint ; continuum nec interruptum poſtulant victûs accuratè parci & tenuis, ægri viribus accommodati, ſubſidium &, ſiquandò genio liberiùs indulgeatur, præſentaneam evacuationem quæ optimè fit emeticis, vel catharticis ſtomachicis lenioribus, prout hæc vel illa meliùs ſe ferre experti didicerint ægri : nam præter jam dictas & quæ veſicatoriis & clyſteribus fiunt, aliæ evacuationes iis minimè conveniunt, niſi diuturnâ intemperantiâ alios ſibi morbos præter meram ſolamque fibrarum infirmitatem paraverint ; hi enim curationem genio ſuo convenientem exigunt.

In tractatu de ſanitate tuendâ notas prodidi, quibus fibrarum infirmitas dignoſcitur. Et quibus ſibræ debiles fuerint, earum infirmitatem an naſcendi ſorti an culpæ ſuæ debeant facilè dignoſcent ; ſi valetudinis ſuæ conditionem & ſtatum à primâ uſque pueritiâ animo recolant. Et hæreditariâ quidem infirmitate laborantes ſorte ſuâ contentos eſſe oportet, quibus nempe conſtantior quàm pro modulo ſuo ſanitas aut firmius robur minimè expectanda ſint. Confirmandæ tamen eorum valetudini, ne ea, qualiſqualis eſt, in deterius vergat, non parùm conferent aquæ chalybeatæ nunc hujus nunc illius generis, ne eadem aqua perpetuo uſu corpori familiaris facta vim ſuam amittat.

Et cujusvis quidem generis medicamentorum varietatem morbis diuturnis laborantium, non minùs quam ciborum varietatem, etiam sanorum, gustus exigit; Amaricantia medicamenta, præcipuè suprà descriptam Corticis peruviani tincturam maximè verò cum infuso vitrioli martis conjunctam, nunquam non maximum illis levamen attulisse expertus scio. Eodem modo tractandi sunt illi quibus, cùm juniores sint & humores minimè vitiatos habeant, hæmorrhagia tamen immanior aut alia insignis præter naturæ modum evacuatio, quibusque acutus morbus, fibrarum laxitatis & debilitatis causa fuit. Cujusmodi infirmis ad erigendas cùm prostratas vires tùm dejectum animum tincturæ è rhabarbaro oryzæ spiritu extractæ de sanitate tuendâ tractatu descriptæ diu continuatum usum multoties prodesse vidi: cujus scilicet singulis alternisve diebus, prout ægri vires ferrent aut morbi symptomata exigerent, instante somni tempore epoto uno aut duobus cochleariis aut eâ quantitate, quæcunque fuerit, quæ postridie alvum bis ad summum dejiceret, & intestina confirmabantur & superfluum illud nutrimentum ejiciebatur quod aut vanus metus magni ex inanitione mali ejusque præveniendi studium aut ipse luxus deglutiendum suaserat. Nonnunquam &

animi dejectione laborantibus à flatibus ortâ (quos nempe intra primas vias latere frequens eructatio ostendebat) alacritatem & integram sanitatem redditam vidi pilularum è volatilibus gummi speciebus confectarum usu, præcipuè cùm his adjungerentur ex aloe parata cathartica. Pilulæ autem illæ è gummi ammoniaci, galbani, myrrhæ electæ, singulorum drachmis duabus, asæ fætidæ, salis succini, castorei, cujusque semidrachmâ, salis martis unâ drachmâ, specierum diambræ sine odoratis scrupulo uno, additis aliquot olei juniperi guttis in massam subactis, formantur: hujus massæ duo trientes in pilulas finguntur solitæ magnitudinis, quales scilicet decem unam drachmam pendunt, quarum tres quotidiè manè degluttiendæ sunt & deinde aquæ chalybeatæ aut grati cujusvis liquoris haustus bibendus. Reliquo trienti aloes lotæ aut rosatæ tantundem additur ex quâ massâ formatæ pilulæ itidem tres cujusque diei vespere devorandæ sunt. His autem pilulis utendum est usque dum morbus devictus recedat; eodem deinceps medicamento profligandus, si eum ægri intemperantia postliminio reducat.

§. 33. Paroxysmorum autem apoplecticorum, epilepticorum, hystericorum, hypochondriacorum, convulsivorum, animi

deliquiorum, oscitationis (nisi à majoris alicujus & insignioris visceris corruptione, acuto aliquo morbo prægresso, imprægnatione, nimio & immodico labore, jejunio aut violentis animi affectibus oriantur) cùm junioribus accidunt quibus humores nondum vitiati sunt, iisque familiares & solemnes facti fuerint, non alia est origo quàm repletio ex nimiâ cibi opipari lautique, potûsque generosi ingestione, indeque fermentationis vi genita acris & elastica aura sive flatus alicui canali aut cavitati inclusus quo fibræ vellicatæ in spasmos adiguntur ut aliena & molesta expellant. Paroxysmi enim omnes, sive apoplectici sive epileptici, hypochondriaci, hysterici; verbo, convulsivi quicunque & ubicunque ubi cùm facultates animales tùm intellectuales succumbunt, ut in apoplexiâ fit, atque ubi partim vigent partim subvertuntur ut in epilepsiâ & convulsionibus; atque etiam singultus, tussis, sternutatio, vomitus, risus, & universim omnes spasmi, sive naturales, sive morbosi, eo fine à naturâ instituuntur ut corpus aliquod inimicum & extraneum, ut vapores acres, calculum, perspirabilem materiam, atram vel flavam bilem, fætum, &c. è corpore expellant. His morbis non aliàs commodiùs medetur quàm lenibus emeticis & catharticis stomachicis, frequenter repeti-

tis ut ne ſuccreſcat mali fomes; concoctionis organa roborantibus, ut peruviano cortice & vitriolo martis; jam deſcriptis pilulis; aquis chalybeatis; accurato tenuique victu; modicâ & quæ perſpirationem augeat exercitatione; aliarumque ſanitatis regularum tractatu de ſanitate traditarum obſervatione. Puellas hyſtericas hac methodo ſæpè ſanavi, eoque certiùs ſi utrique brachio, aut potiùs capiti, veſicatorium ſimul applicaretur quo auræ minoribus canalibus incluſæ exitus continuò pateret. Nec, ſi præſcriptam victûs rationem ſequi ſuſtinerent, felix unquam exitus defuit. Eâdem methodo viri hypochondriaci æquâ felicitate ſanantur; præterquam ætate provectiores; quibus quid ſpei ſuperſit ex mox dicendis patebit.

§. 34. Qui ſani quidem, validi, firmique nati ſunt, ſed intemperantiâ, immodico literarum aut negotiorum ſtudio, ſedentariâ vivendi ratione & præceptorum ad morbos avertendos & præveniendos neceſſariorum neglectu hos ſibi morbos pepererunt: quorum frequens jam facta eſt mentio, fibrarum nempe relaxationem, flatus, animi dejectionem & triſtitiam melancholicam (tales autem ſunt plerique omnes iiſdem laborantes) ſi modò ſufficiens vitæ ſpatium ſuperſit, neque principalium viſcerum quod-

quam penitiùs corruptum sit (quod ex symptomatum cujusque visceris læsioni peculiarium vehementiâ facilè innotescit) affirmare ausim curandi rationem & medicamenta hîc proposita intra biennium aut triennium (longum quidem tempus, sed pessimè affectis i. e. quibus sanguinis & humorum crasis vitiata est, ut in omnibus gravioribus nervorum morbis fieri solet, ex ipsâ rei naturâ necessarium) illis integram sanitatem animique alacritatem ita redditura ut non vana longævitatis spes affulgeat curiosè caventibus ne novum morborum fomitem reponant. Quod non gratis dici testes sunt aliquot illustris conditionis viri qui meo ductu triste iter eluctati integrâ nunc sanitate fruuntur. Si morbus mitior sit atque causis minùs inveteratis ortum suum debeat; curatio etiam brevior minùsque molesta erit. Quod iis accidit qui, cùm à naturâ debiliores fibras habeant, maturiùs queruntur, etiam cùm leviore onere premuntur. Leviore inquam ii operâ ad pristinum suum, sic satis tolerabilem, sed nequaquam firmum, valetudinis statum reducuntur.

Denique quicunque istam jam propositam curationis viam insistent, symptomata minùs difficilia & molesta experientur minùsque gravia mala patientur quàm alium

quemvis tramitem ſecuti. Quibus aſperum durumque nimis videtur genio ſuo non indulgere, quibuſque nec vitæ multum ſupereſſe videtur nec animi ſatis eſt ut longius hoc aſperiuſque iter ingrediantur; ii quod velint aut quantum ferre poſſint faciant. Nullam interim eâ quam jam monſtravi viam tutiorem, imò nec jucundiorem, addo & nec breviorem, ad integram ſtabilemque ſanitatem patere ſciant.

EPILOGUS.

His denique paucis rei ſumma continetur.

§. 1. Ultimæ corporis animati fibrillæ ſunt filamenta impervia, ſolida, elaſtica virtute pollentia, ex quibus formantur majores fibræ omnium partium ſolidarum, quarum pro vario ſitu atque uſu, varia etiam eſt tenſio ſive tonus, variaque humorum quibus irrigantur quantitas, velocitas, denſitas, tota denique indoles.

§. 2. Corpora externa non alitèr agunt in fibras nerveas, ſuique ideas ſive ſenſationes excitant, quàm illas ita impellendo & concutiendo ut vividè oſcillentur vibrent

que. Iſtarum autem vibrationum uſque ad cerebrum, animæ domicilium, propagatarum variæ celeritati, momento, directioni aliiſque varietatibus ſive a corporum externorum, ſive ab ipſorum nervorum multiplici diverſitate pendentibus, debetur omnis omnigenarum ſenſationum varietas.

§. 3. Manifeſtum eſt mentem in fibras muſculares agere eas corrugando, earumque particulas in ſe invicem comprimendo, & longitudinem minuendo; quo fit ut cujuſvis muſculi terminus mobilis versùs immobilem adducatur. At nec quibus inſtrumentis hæc peragat, conſtat; nec verò totam corpoream, quâ patet, naturam rimanti ullum uſquam occurrit ſatis idoneum aut operi ſufficiens: ita ut nequaquam abſonum videatur ſuſpicari, mediæ quidpiam inter corpus ſpiritumque naturæ opus eſſe ut intercedat, cujus ſcil. interventu ſpiritus materiam (rem nimiùm nimiùmque remotæ à ſuà naturæ & indolis) afficere queat. Talem autem ſubſtantiam inter corpus ſpiritumque mediam exiſtere poſſe, haud cunctantèr agnoſcet quicunque naturam obſervaverit ab imo ad ſummum non diſtinctis gradibus, ſed leniter acclivi viâ aſcendere; ut plantam creviſſe perſpicimus, creſcentem autem deprehendere nequimus.

§. 4. Ad quotidianam machinæ animalis continuo usu detritæ reparationem necesse erat (nisi automati arte facti ritu summi etiam artificis opificium subindè, quoties nempe emendatione egebat, diruendum erat, & denuò connectendum) quâcunque ejus particulâ abruptâ statim præsto esse quicquid ad commodam citamque reparationem opus est.

§. 5. Hunc in finem natura provida paravit fluidum aqueum & tenue, quod facilè intimos in corporis recessus fibrarumque interstitia earundem vi contractili adigitur, infinita secùm advehens fibrillarum ramenta variæ figuræ, quibus detritæ hinc illinc corporis animati particulæ suppleantur; & quoddam prætereà gluten quo ramenta illa commodis locis affigantur, ut lapides cæmento; oleum denique quo caveatur ne fibræ rigescant & dein frangantur. Hæc autem omnia ex alimentis educuntur; humore nempe aqueo, qui pro potu (aut potûs saltem vehiculo) est, iisque plantarum animaliumque partibus quibus pro cibo utimur. Hoc artificio vita animalis peragitur, & in tempus aliquod producitur.

Ex his sequitur.

1. Vitam animalium non tam in circuitione humorum consistere, quam in solidarum

darum partium, fibrarumque quibus eæ constant, integritate, debitâque tensione, quibus conservandis ipsa illa circuitio destinatur.

2. Quare Medicinam facientibus solidarum partium præquàm humorum major, & præcipua ratio est habenda. Omnis etenim morbus partium solidarum morbus est. Neque vitiatis licet humoribus, animal prius ægrotat quàm solidæ partes afficiantur. Illarum varia sunt vitia, primaria autem, nimia rigiditas aut flacciditas, motusque justo citatior aut æquo pigrior: quæ licet ab humoribus depravatis magnam partem pendeant, non tamen humores propria morbi sedes sunt. Utique cùm humores acrimoniæ, aut lentoris nimii vitio corrupti sunt non exinde animal ægrotat, sed acceleratis supra modum, humorum acredine aut quovis stimulo, fibrarum vibrationibus, febrium morborumque cognatorum cohors incumbit; iisdem, sive humorum lentore sive aliunde, retardatis; ecce tristis diuturnorum morborum caterva gravis incubat. Verbo, quandiu fibræ ab humoribus validè impulsæ eosdem validè repellunt; h. e. durante solidarum fluidarumque partium æquilibrio, sanitas perstat; illo in alterutram partem vergente, hæc itidem titubat.

3. Ex ſupradictis manifeſtum eſt, vitam animalium eo ſaniorem, integriorem, & productiorem futuram, quo humor ille vitalis vegetabilium animaliumque ramentis refertus, ſuoque glutine, balſamo, oleoque dives, ſubactior, attenuatior, fluidiorque fuerit, utpotè faciliùs intimos quoſque receſſus ſubiturus ut detrita ramenta eluat, fracta reparet, & rigentia emolliat, neque uſquam ruderum modo viæ ipſe hærens eandem obſtruat.

4. Denique cùm animalium fibræ à plantarum fibris ſolâ majore ſuâ tenacitate & robore differant, & (cùm in alibilem ſuccum convertuntur) his illa alimentum fortius & robuſtius, cæterùm nequaquam diverſæ indolis, animali paſto ſubminiſtrent: Conſequens eſt, ad ſanitatem non requiri alimenta ex animalium carnibus petita, licet ad athleticum robur corpori ſubminiſtrandum, idemque conſervandum, neceſſaria ſint.

APPENDIX,

DE MORBIS CONTAGIOSIS.

UT oſtendam quàm latè pateat doctrina de ſalium efficaciâ in corporis hu-

mani valetudine immutandâ, quam in omnibus meis Scriptis Medicis inculco: libet hîc ſubjungere quæ de eorundem vi in morborum contagioſorum generatione & propagatione cogitabam, cùm nupera peſtis ex vicinâ Galliâ in Britanniam noſtram tranſitum parare videbatur.

§. 1. Corporum omnium, animalium, vegetabilium & mineralium vires activæ (proximè poſt univerſale illud agens, quod eſt ſive lumen ſive ſubtilior quidam æther cui ipſum lumen actionem ſuam debeat) deberi videntur ſali puro, ſimplici, ingenerabili & incorruptibili. Sal enim videtur maximè activum & energeticum, ſeu mavis, maximè agile principium in corporibus; & poſt tranſmutationes quaſcunque & quotcunque ad eundem plerumque quantitate & figurâ ſalem reducitur; ſummâ item vi attractivâ pollet, ut ex ejuſdem cryſtalliſatione manifeſtum eſt.

§. 2. Sal volatile urinoſum omnium ſalium eſt longè potentiſſimum & maximè elaſticum, ut ex ipſius ſapore & odore & vi cauſticâ patet. Vis ejus attractiva intendi videtur in reciprocâ quâdam ratione molis. Volatiliſatione & comminutione (ut frictione) ſummè augetur: ut in ſale cornu cervi, & ammoniaco, in camphorâ, ſuccino, gummi, cryſtallo & adamante manifeſtum eſt.

§. 3. Plerique ſales animales ſunt volatiles & urinoſi, non autem ii ſoli, ſed & alii plurimi ex aliis corporibus puta vegetabilibus nec non mineralibus quibuſdam, borace nempe & alumine, eliciti.

§. 4. Fermentatio efficitur ſolâ actione ſalium aut in ſe mutuo aut in corpora ſulfurea aut terreſtria alcalina (quam enim præ ſe fert fermentationis ſpeciem aër ex liquoribus vi elaſticâ erumpens, non eſt vera) ſe invicem pro virium ratione petentium, & ita corporum partes diſrumpentium ut ſui ipſorum unio faciliùs celebretur. Putredo autem à fermentatione non differt, niſi duratione & gradu. In fermentationibus enim ſalium animalium varii ſunt gradus, quorum effectus ſunt calor, ardor, pruritus, inflammatio, puſtulæ, ulcus, gangræna, mortificatio: quæ omnia iterum gradibus diſtinguuntur, & varia ſortiuntur nomina ex loco affecto, ſalium naturâ, aliiſque circumſtantiis; neque aliter inter ſe differunt quam in corporibus inanimatis calor, ardor, fumus in flammam jamjam abiturus, flamma, carbo ignitus, idemque in cinerem redactus.

§. 5. Omnes morbi magis aut minùs contagioſi ſunt. Alii enim ſine contactu, alii non niſi contactu mediante communicantur. Nullus autem eſt qui generatione, hoc

est ipsâ humorum morbidorum è corporibus parentum in embryonem transfusione, non possit communicari. Contagiosorum tamen morborum nomine vulgò soli magis & promptiùs contagiosi veniunt. Et hi quidem prout faciliùs aut facillimè ab uno animali ad aliud transferuntur in chronicos & acutos (aliorum morborum ritu) rectè dividuntur.

§. 6. Morbi contagiosi chronici sive lentiores videntur originem suam debere salibus mole grandioribus, minùs volatilibus, segnioribus, lentiùs concretis, sensim intra corpus accumulatis, tandemque in organum aliquod particulare vi animali expultrice protrusis. Rarissimè enim ad hunc gradum ascendunt quin priùs reliquæ etiam corporis partes cùm fluidæ tum solidæ iis aliquatenùs corruptæ sint. Cujus rei veritas manifestè cernitur in furfure, scabie, leprâ, impetigine, elephantiasi, scorbuto, scrofulâ, lue venereâ: quo postremo in morbo sal urinosum ex loci primitùs affecti situ, substantiæ inquinatæ naturâ & infectionis modo, magis urinosum & maximè volatile redditur.

§. 7. Morbi contagiosi acuti oriri videntur ex salibus urinosis summâ pernicitate in corpus impactis, mole minimis & volatilissimis, summâ vi attractivâ & elasticâ præ-

ditis, ita comminutis & volatilisatis ut cuivis contagii gradui producendo sufficiant. Hujusmodi salia, si in corpus salibus urinosis minùs refertum iisdemque lentiùs minùsque vitiatum, cætera autem sanum, introducantur, morbos producunt in ulcera aut abscessus sanabiles desituros. Sin simul & semel in corpora impura summâ velocitate impellantur, ictu quasi oculi substantiam animalem dissolvunt ejusque partes disgregant. Prioris casûs exempla sunt morbilli, febris miliaris, febres in ulcera & abscessus desinentes, variolæ mitiores; posterioris, variolæ aliæ, febres putridissimæ, febres pestilentiales, & ipsa pestis.

§. 8. Contagium igitur in salis urinosi corrupti & vitiati in corpus ingressu consistere videtur, sive ille per aerem deferatur, perque cutem, pulmonem & ventriculum humores subeat, sive insitione ipsis directè injiciatur, sive denique corpus morbidum alterum sanum immediate contingat & per cutis præcipuè vias venenum suum transmittat. Ex suscepto autem frigore, aurarum venenatarum effectu, cataplasmatum, emplastrorum, embrocationum, unguentorum, maximèque mercurialium usu, manifestum est corpus animale quicquid illi propinquum est, sive noxium sive innocuum, validè attrahere. Hujusmodi autem

ſalium pro diversâ ſuâ mole, motûs celeritate & corporis infecti diſpoſitione, diverſos effectus, morborumque diverſitatem inde ortam ſupra explicuimus.

§. 9. Morbi contagioſi indoles & vis pendet non minùs ex infecti corporis diſpoſitione quàm ex materiæ inficientis naturâ: ita ut qui ante infectionem ſale urinoſo abundaverit, morbo quovis contagioſo ſive chronico ſive acuto graviùs laboret.

§. 10. Ea corporis diſpoſitio quæ homines variolis obnoxios reddit, deberi videtur carnis præcipue eſui intempeſtivo & immodico: ea ſcilicet ſale urinoſo præ aliis nutrimenti generibus plenior eſt, qui imbecilli ſolidorum actione, qualis eſt infantum & puerorum, nec ſatis comminuitur nec debitâ quantitate è corpore expellitur ſed intùs in ſanguine coacervatur. In regionibus enim orientalibus & quibuſdam borealibus, ubi nempe carnis eſus & liquoris ſpirituoſi uſus parcior eſt, variolæ aut nullæ ſunt aut mitioris ſaltem indolis; niſi paucis aliquot qui morbidiſſima corpora à parentibus acceperunt. Semel autem nec ſæpiùs plerique hoc morbo inficiuntur, quia omnis materia morbifica criſi expellitur, quæ ne iterum ſuccreſcat validiore indies organorum concoctionis & expulſionis actione efficitur: Si tamen nihilominùs

propter copiosam ingestionem iterum magnâ quantitate coacervatur, in alium aliquem morbum contagiosum, aut chronicum aut acutum abibit; priore enim crisi per cutem factâ ea aut ita occallescit ut secundæ ejusdem generis non sufficiat; aut ita laxi fiunt ejus meatus ut variolarum materia, propter liberiorem transitum, eâ copiâ nequeat in sanguine detineri quæ illi morbo gignendo satis sit.

§. 11. Contagionis materia sive aëre, sive contactu immediato, sive insitione humoribus communicetur, ejusdem generis morbum & æquâ certitudine producit. Quod cùm de reliquis morbis contagiosis, tùm speciatim de variolis vere dicitur.

§. 12. Variolæ autem cùm multis modis certè, omnium tamen tutissimè insitione communicantur. 1. Quòd tempus morbo ferendo maximè commodum eligi possit; sive ægri ætatem spectes, quæ puerilis est, à quinto putà ad decimum annum, invalescente scilicet corpusculi robore, & humoribus interim nondum corruptissimis: sive anni tempestatem maximè salutiferam & benignam. 2. Quòd materia inserenda & sub mitiore constitutione epidemicâ eligi possit, & ab ægro mitiùs laborante desumi. 3. Denique, quòd etiam in pessimâ constitutione epidemicâ ægrotaturi corpus,

licèt adultum materiâque morbificâ refertissimum, ita repurgari, elui, aliisque modis morbi fomite vacuari possit ut minùs tutiùsque ægrotet.

§. 13. Omnes morbi contagiosi chronici, cum ejusdem generis sint, ejusdem generis medicamentis curari possunt. Et cùm mercurium, sulfur, aliaque concretiones resolventia experientia præcipuè comendet hujusmodi medicamentis variè pro morbi varietate compositis, idoneâ dosi & tempore exhibitis, cum debito victûs regimine, omnes hi morbi profligabuntur, si modò ullâ ope profligari possunt. Et horum quidem morborum materia, quod crassa sit, attenuationem & resolutionem postulat; & cùm minùs efficax sit, moram in curatione patitur.

§. 14. Acutorum autem morborum materia contagiosa perniciſſimè noxia, nec moras patitur, nec tenuissima cùm sit, ulla ulteriore attenuatione eget. Quare, hujus differentiæ respectu (quæ si abesset omninò eâdem methodo communis in omnibus contagiosis curandis intentio esset prosequenda, salium nempe vitiatorum, humorumque ab iisdem corruptorum quàm fieri potest citissima è corpore ejectio) diverso modò aggredienda est horum posteriorum

curatio. Poſt univerſalia enim præmiſſa & debitas evacuationes repetitas prout ferunt morbus & æger, alexipharmaca, & quæ facultatem coctricem & expultricem corroborant & promovent, ſola ſpecifica ſunt medicamenta in horum curatione, æquè ac antidota in eorundem prophylaxi; veniente interim in ſubſidium idoneo victûs regimine, ſine quo nihil quidquam in cujuſquam morbi curatione expectandum videtur. Hanc methodum experientia & obſervatio comprobant. Quanquam enim, cùm peſtis morbus orientalis ſit ex putrefactione oriundus, ejus materia contagioſa harum regionum fervido calore ſummopere attenuata & volatiliſata, ideò ſummè noxia effici debere videatur: nihilominùs tamen manifeſtiſſimum ſit, hunc morbum in borealibus præcipuè regionibus latiſſimam edere ſtragem; cùmque hæ ab illis regionibus non differant niſi minùs liberâ, propter minorem calorem, perſpiratione, craſſioreque & pleniore harum quàm illarum incolis uſitato victu: manifeſtum eſt, moderatiorem ciborum ingeſtionem, medicamentaque vim coctricem & expultricem roborantia, ſola eſſe idonea curationis inſtrumenta. Temperantem ſobriumque Socratem

graviſſima peſtis Athenienſium non attigit, neque ullo ferè ævo ejus ſimiles attingit.

§. 15. Morbi contagioſi acuti epidemici, ut peſtis, ideo deſinunt quòd ſales contagium communicantes aut difflentur, aut in majores moles conſtipentur, aut præcipitentur & fixentur, aut denique ſalutiferâ quâdam mixturâ involvantur eòque obtundantur.

FINIS.



ELENCHUS
RERUM.

APPENDIX,

De Morbis Contagiosis.

FINIS.

COMMENTARIUM
NOSOLOGICUM
MORBOS EPIDEMICOS
ET
AERIS VARIATIONES
IN URBE EBORACENCI
LOCISQUE VICINIS,

Ab Anno 1715. *usque ad finem anni* 1725.
Grassantes Complectens.

AUTHORE
CLIFTONO WINTERINGHAM.



PROLEGOMENA.

MIrari mihi non raro ſubiit, quod cum non ſolum mutationes & ſucceſſiones, ſed ipſæ etiam morborum acutorum origines, communi medicorum conſenſu aëri tribuuntur, nemo ab ipſo Hippocratis ævo ad hoc uſque tempus, (periodo ſcilicet pluſquam duorum annorum millium) unquam animum, vel ad eorum mutationes & ſucceſſiones, vel aëris temperamenta eos comitantia, ſolo excepto Sydenhamio, obſervandum appulit. Hoc autem ei non immerito tribuatur vitium, quod cum morbos per plures annos epidemicè graſſantes ſtylo eleganti perſpicuè delineavit, vix verbum de aëris comitantis temperamento addidit.

Aſſiduum in his obſervandis per plures annos tædium, multos ab hoc opere procul dubio deterruit, & in causâ fuit, quod

paucis Hippocratis obſervationibus contenti huc uſque decubuerunt Medici, cæteraque omnia quaſi inſcrutabilia poſuerunt.

Hac in re ignaros quoſdam Geographos imitati ſunt, qui oceanis immenſis, vaſtiſque deſertis chartas geographicas complent, hac ſolâ ratione inducti, quod deficit deſcriptio.

Horum morborum cauſas exponere, non hujus eſt libelli; placet enim eas tantum morborum ſucceſſiones & ſymptomatum varietates, variaque aeris temperamenta eas comitantia eo ordine deſcribere, quo per decem annos jam proximè elapſos, in hac urbe lociſque vicinis, ſe palam fecerunt.

Ad quantam in horum morborum cauſis inveſtigandis certitudinem, fida per multos annos continuata, nos perduceret hiſtoria, nequaquam novi; hoc tamen ſatis apparet, quod quamdiù hujuſmodi hiſtoriis deſtituti ſimus, theoriam ullam certam & conſtantem, fruſtrà ſtabilire conabimur.

His fretus ratiociniis, obſervationes ſequentes publici juris facere decrevi, eaque ſimplicitate delineare, qua in propriis commentariis in uſum domeſticum per prædictos annos deſcripſeram; non tam quod aliquid novi me Medicis declaraturum ſup-

pono (res enim jam præteritas, & à pluribus forsan observatas solùm recordor) quam ut alios ad utilissimam hanc Medicinæ partem, olim adeò celebratam, prosequendam excitarem. Et ad quantam certitudinem, tam in dignoscendis quam curandis morbis, nos tandem perducerent hujusmodi historiæ, non opus est ut argumentis illustrem.

Morbi in his commentariis posthac enumerati, sunt epidemici & sporadici, quos egomet observavi; symptomatum etiam variationes, ad eorum singulos pertinentes, pro viribus fideliter & accuratè descripsi, nullâ commotus cupidine theoriam aliquam ex his excitandi fundamentis.

Non equidem me latet quosdam dari Medicos, qui hujusmodi morbos nullas aut saltem paucas mutationes subire contendunt, ex iis aeris qualitatibus quæ sensibus nostris apparent, quales sunt caliditas, frigiditas, humiditas, aliaque ejusmodi; symptomatum autem variationes, & morborum successiones ex subtili quadam materie prorsus ignota, sensibus nostris nequaquam obvia, aliisque hujusmodi figmentis Philosophicis deducere conantur. Dari quidèm hujusmodi particulas, satis docent pestilentiarum, aliorumque morborum contagiosorum historiæ; cur tamen ad has, in

ſingulis annis pro morborum acutorum phænominis ſolvendis, confugiendum eſt, non equidèm video. Quicunque enim animum ad veritatem ſolam inveſtigandam, ab obſervationibus aſſiduis provenientem applicabit, pro certo inveniet, quod non ſolùm morbi eadem eſſentiâ gaudentes, ab hujuſmodi cauſis varietatem aliquam in ſymptomatibus patiuntur; ſed alii ſpecie diverſi producuntur, & non raró omnia morbi regnantis phænomena adeò in alia commutantur, ut alterius morbi ſpeciem præ ſe ferant.

Hippocratem, Medicorum facilè principem, de hâc re itá ſenſiſſe, docuit inſignis ejus curà, in varias aeris temperaturas, variaque morborum phænomena enumerando, quam paſsìm in operibus, præcipùe vero in Epidemicis deprehendimus. Neque hoc contentus fuit auctor eximius, quin etiam aeris ſtatim morbi ingreſſum præcedentem, æque ac comitantem, una cum ventorum ad diverſas plagas mutationibus, annorum tempeſtatibus, aliiſque ejuſmodi non raró deſcribit. In quibus omnibus enumerandis vix opus ſuum impenderet, modo de eorum effectibus, ex fidis experimentis non ſatis ſibi perſuaſum habuit.

Non mea autem eſt ſcientia, quod exi-

gua quælibet aeris variatio in calore, pondere, humiditate, aliisque sensilibus ejus qualitatibus corpora nostra in hunc modum afficere valeat, sed eæ solæ, quæ in stabilioribus aeris temperamentis accidunt, sive à deteriore in temperamentum màgis salutiferum, seu in oppositas partes deflectant. Hoc autem pro certo novi, minores in his variationes teneros, & delicatulos afficere, quam vulgò concludere solemus.

Nullus dubito quin Medicis satis notum est, quod morbi quidam singulares, peculiari modo, ad certas quasdam anni tempestates, præ cæteris, pertinent; etiamsi in omnibus non raro inveniantur. Cujus generis sunt pleuritides, anginæ, aliique morbi inflammatione conjuncti, qui vernale tempus præ cæteris occupant. Quippe hyemis frigore densantur fluida, stringuntur corporis solida, & coarctantur vasorum canales: adaucto autem in vere calore, rarescit sanguis, turgescunt vasa quædam immeabilia, & sequuntur morbi prædicti. Quibus etiam addi possint febres quartanæ intermittentes, morbus cholera dictus, aliique ejusmodi morbi autumnalem tempestatem occupantes. Quorum omnium phænomena à sensilibus aeris qualitatibus deduci possint, qua tamen ratione ex sub-

tili, nescio qua, materie, non equidem novi.

Hujus methodi tam veritatem, quam utilitatem adeo clarè cognovit Hippocrates, quod non solùm totam ferè aphorismorum sectionem, in iis morbis enumerandis consumpsit, qui particulari quadam ratione certas anni tempestates occupant; quin eas etiam adjunxit symptomatum varietates, quas in his, ex variis aeris temperamentis, profluere, expertus novit. His fretus ratiociniis, morbos brevi adventuros prædixit divinus senex; an autem ad æqualem in his prædicendis sagacitatem, alii hac methodo etiam ascenderent, non affirmarem; hoc autem pro certo ponere liceat quod si hujusmodi observationes ad hoc usque tempus, eâdem fidelitate & ingenii acumine continuatæ fuissent, morborum epidemicorum naturam à primo exortu clariùs dignosceremus; in quibus discernendis, non parum hæsitant Medici celeberrimi.

Objiciunt quidam Scriptores incauti, tantum dari discrimen inter aeris Græciæ temperamentum & hujus Insulæ, quod observationes ab Hippocrate institutæ prorsùs inutiles nobis evadunt. Hæc autem assertio ignorantiæ asylum merito nuncupari potest, & utcunque primâ facie veritatis speciem

præ

præ ſe ferat, falſam eſſe demonſtrabit experientia.

Quamvis enim neceſſariò concedendum eſt, morbos quoſdam peculiari modo certas regiones, certaque climata præ cæteris afficere, & exinde gradu aliquo ab iis, regiones diverſas occupantibus, diverſos eſſe; quamvis etiam concedendum eſt, quod obſervationes certâ quadam regione inſtitutæ, iis in alterâ inſtitutis, quaſi puncto non congruant, maximâ tamen ex parte veræ, invenientur; eo quod, mutationes in aere ipſo ad gradus proportionales in locis utriſque, amborum incolas ratione proportionali afficere neceſſe eſt. Ut ab affectibus caloris, frigoris, aut aliarum aeris qualitatum ſenſibilium etiam ſenſibus apparet.

Ponamus enim, exempli gratiâ, regiones duas ita eſſe ſitas, ut naturalis aeris calor unius, calorem alterius viginti gradus exſuperet; ex hoc tantùm ſequetur, quod ſubitanea aeris mutatio vel frigiditate vel caliditate, ad gradus in utriſque proportionales amborum incolas, quatenus ad caloris aut frigoris effectus pertinet, pari modo afficiet; eâdem enim in ratione conſtringuntur vel laxantur fibræ, denſantur vel expanduntur fluida, materiaque perſpirabilis gradu proportionali in utriſque afficitur.

Hinc accidit, quod pleuritides, anginæ, dyſenteriæ, febres putridæ, continuæ remittentes, & intermittentes in quacunque regione, omnique climate inveniuntur; licet a ſe invicem variationes aliquas patiantur, vel a ſitu loci, variis incolarum vivendi modis, particulari conſtitutionum idioſyncraſiâ, aliiſve ejuſmodi.

Hoc autem me præ cæteris ratiociniis in hac ſtabilit ſententiâ, quod eoſdem morbos accidiſſe, eaſdemque variationes in œconomia animali, ſubitaneum Thermometri aſcenſum vel deſcenſum ad gradus proportionales conſecutas eſſe, comperi; ſeu in æſtate, vel hyeme, accidebat hæc aeris variatio. Quod quidèm phænomenon, etiamſi a nullo hactenus prout novi obſervatum, clariſſimè demonſtrat, quod neque morborum, nec ſymptomatum variationes, a gradu caloris aut frigoris cuilibet regioni, aut anni tempeſtati particulari, ortum ducunt; ſed ad ſubitaneam aeris mutationem, majori ratione, quam cum ſalute œconomiæ animalis, prœcipuè corporis morboſi, conſiſtere valent, jure ſunt tribuendæ; quouſque ſaltem ex calore aut frigore pendent morborum variationes.

Præterea ſi morbos epidemicos ab Hippocrate deſcriptos ad examen deducamus, aeriſque temperamenta eos comitantia,

& antecedentia, cùm iis morbis, qui in hac regione, ſub eiſdem aeris temperamentis accidunt, comparemus, diſcrimen adeo latum non apparebit, ut ſtabilire conantur obſervatores hi nimis perfunctorii; & tantum abeſt a veritate, ut inutiles æſtimari debeant, quod nullas iis æquales novi, aut me brevi viſurum autumno.

Incertum aeris in hac inſula temperamentum in causâ eſt, quod hujuſmodi obſervationes in methodum generalem, aſſiduo ſine labore, longâque obſervationum ſerie nequaquam reduci poſſunt, & hoc majori ratione, quam in iis regionibus, quæ ſtabiliori aeris temperamento gaudent; quod tamen operæ pretium non ſit, ex hac aſſertione vix colligi poteſt.

Frequentes etiam aeris in hac Inſulâ variationes, ad hanc in obſervando incuriam plurimùm contuliſſe nullus dubito. Corpora enim noſtra mutationibus his adeo ſunt aſſueta, quod familiares fiunt, & vel prorſus negliguntur, aut ſaltem minimi momenti æſtimantur, malaque hoc ex fonte orientia, cauſis longe remotioribus, non rarò tribuuntur.

Obſervavi ſupra quod Hippocrates non tantùm aeris temperamenta morbos regnantes comitantia, ſed iis etiam antecedentia frequenter deſcribit, & nonnun-

quam præcipuas aeris variationes per totius anni tractum, antequam ad morbos tum grassantes delineandos se accingat, quæ methodus observatu admodum est necessaria; quippe hujus ope, ad statum tam fluidorum, quam solidorum, rite intelligendum, quasi manu deducimur. Datis enim temperamenti antecedentis æquè ac præsentis effectibus, humorum status non tantùm clariùs apparet, sed harum mutationum causæ primariæ, fere ad sensum demonstrantur.

Observatu etiam non est indignum, quod morbi, qui clarissimè ab aeris temperamentis profluunt, seipsos frequentèr non ostendunt, priusquam in aliam commutatur aeris temperies. Quod quidem phænomenon, non solùm successiones eorum inter se invicem comparandi necessitatem demonstrat, sed etiam ostendit, morbos hos, non solùm ex præsenti aeris temperie, quinetiam à variis plurimarum inter se invicem combinationibus mutationes subire. An autem his, vel aliis cujuscunque generis causis, tribuendæ sunt eorum variationes, aliis tractandum relinquam; & multo minus, de causis epidemicorum originalibus, hic sermonem instituam; quippe ad hæc stabilienda desunt observationes, & res ipsas agito, non hypotheses fingo.

Quæstiones quasdam, lector benevole, numeris in textu respondentes, in margine invenies, quas inserere non prorsus inutile duxi; quoniam in hujusmodi observationibus instituendis, eas aliis ansam præbere posse existimo; & etiam quod in praxi, saltem minus expertis, forsan sint emolumento. Has autem, non ut veritates certas & fidas, sed tantum ut effectus, observatu non prorsus indignos, & probabiliter ex causis ibidem descriptis orientes, propono.

Nullos singulares ægrorum casus adjeci; quippe si omnes enumerassem, eosque singulis annis inter se comparassem, in immensum assurrexisset libri moles; si autem paucos quosdam selegissem, nihil ex his de morborum speciebus, variisque eorum phænomenis, in singulis annis apparentibus, concludere potuisset lector.





COMMENTARIUM

NOSOLOGICUM.

TEmpeſtas brumalis anni 1715. admodum fuit frigida, largâ nivis copiâ, & extremo gelu conjuncta. Duravit hæc aeris temperies per ſex hebdomadas, ſpirantibus ventis ut plurimùm ex plagis auſtralibus.

Spiritus in Thermometro meo uſque ad gradus 90 deſcendebat, quod in nulla alia tempeſtate, a me hactenus obſervata, novi; rariſſime enim ultra 84 vel 85 deſcendit. Mercurius etiam in Barometro altiſſimè aſſurgebat; durante enim gelu prope $\frac{2}{10}$ pollicis partes altiùs perſtitit, quam in aliis, etiam ſicciſſimis quas novi, tempeſtatibus.

Sæviente gelu graſſabantur morbi inflammatorii, præcipuè pleuritides, anginæ,

rheumatiſmi, dolore acuto, & pulſu duro conjuncti. Sanguis in hujuſmodi morbis plurimum fuit inflammatus & pelliculâ craſsâ obductus, neque ſine larga ejus miſſione, eaque pluriès repetita levabantur ægri.

Qui morbo quolibet diuturno laborabant, hoc tempore male ſe habebant, præſertìm vero Phthiſici & Tabidi; augebantur enim tuſſis & ſpirandi difficultas, excruciabant etiam eos dolores pleuritici, alvique fluxus inſanabilis.

Reſoluto autem in *Februario* gelu, non parum augebatur ex morbis inflammatoriis ægrorum numerus, & ſymptomata acriora fiebant. Tabidis etiam admodum exitiale evaſit hæc aeris mutatio; augebantur enim plurimis diarrhϾ, & perierunt multi. Alii etiam cujuſcunque generis languidi, à cœli variatione non parum patiebantur, & alvi fluore, inteſtinorum doloribus, ſymptomatibus aſthmaticis, hyſtericis, & hypochondriacis præ cæteris laborabant; quæ omnia, in iis quibus ſufficiebant vires, paucis evanuêre diebus; aliis verò, vel ſtatim fuerunt exitialia, aut ex virium collapſu prava induxerunt ſymptomata (1).

QUÆST. (1). Subſidebat Mercurius duos pollices circa gelu diſſolutionem, & aſcendebat in thermometro ſpiritus gradus viginti; hanc aeris variationem notabilis humorum turgeſcentia fuit comitata, quæ ſomnolentiâ, alvi fluore, doloribus arthriticis, & rheumaticis, tam

(p). (3).

Hoc tempore plurimùm graſſabantur variolæ, confluentes fuerunt & moris maligni, & hoc, maximo gradu durante extrema frigiditate.

Duraverunt prædicti morbi inflammatorii per totam tempeſtatem vernalem, appropinquante autem æſtate rariores fiebant. Variolæ etiam graſſabantur, & confluentes plerunque fuerunt, minori tamen gradu quam in hyeme præcedente.

Æſtiva tempeſtas anni 1716. ad caliditatem vergebat, non tamen æquè fuit calida, ac æſtates quædam ſubſequentes, ſpirantibus plerumque ventis ex plagis occidentalibus.

Morbi hac tempeſtate vigentes ſuêre febres quædam continuæ remittentes, a græcis συνεχεῖ dictæ, & febres nervoſæ.

Cutis in prioribus aſpera fuit & ſolito ſiccior, pulſus durus, & ſanguis pleuriti-

vagis quam fixis, & in quibuſdam nervorum reſolutione & apoplexiis morbiſque jamjam deſcriptis, ſe palam faciebat. Quæritur itaque an ſubitanea humorum rarefactio, a diminuto atmoſphæræ pondere, & aucto calore in gelu ſolutione producta, horum effectuum non fuit cauſa primaria?

QUÆST. (2). An morbi hujuſmodi criſin quandam non ſunt emulati; natura per has vias nimiam humorum copiam, & in vaſa preſſuram, excludere moliente?

QUÆST. (3). Annon itaque ex evacuationibus pro morborum variatione inſtitutis, præ cæteris, petenda ſanatio?

eorum more inflammatus. Parum admodum ſudabant, at delirabant frequenter ægri, præſertim in remittentium paroxyſmis. Nonnulli etiam in initio diarrhœis & vomitu, doloribus pleuriticis & rheumaticis affecti ſunt, quæ omnia miſſione ſanguinis, emetico leni, & diluentibus antiphlogiſticis, pro re nata inſtitutis, levabantur. Circa autem diem decimum quartum hæ febres per ſudores judicatæ ſunt; & vel ex toto ceſſabant; vel in intermittentes tertianas convertebantur.

In febribus nervoſis diutiùs ægrotabant, pulſus celer fuit & debilis, cutis ſicca & aſpera, quod poſtremum in his morbis frequenter aliter accidit, ob ſudores partiales & erraticos his febribus, aliis ſæpiùs, ſupervenientes.

Duraverunt etiam variolæ per totam æſtatem uſque ad autumnum, ſenſim tamen decrevit malignitas; hyeme tamen ſequenti evanuerunt, permanentibus adhuc febribus nupertimè deſcriptis.

Hyems proxime ſubſequens, viz. anni 17 6. circa finem frigida fuit & geloſa, minori tamen gradu quam in anno prædicto. Subſidebat enim thermometri ſpiritus tantum ad gradus 84. durante maxima hujus tempeſtatis frigiditate.

Curante frigida hac temperie, iidem fe-

rè morbi ac in hyeme præcedente se ostendebant, tam durante gelu, quam circa ejus solutionem, symptomata tamen mitiora fuerunt, numerus ægrotantium minor. (4).

Æstas anni subsequentis, viz. 1717. calida fuit & sicca circa mediam ejus partem, spirantibus, ut plurimùm, ventis ex plagis quibusdam Australibus & Occidentalibus.

Hoc Anno, præ cæteris morbis, grassabantur febres remittentes, præcipuè tamen priores, & hoc majori numero quam in anno præcedente. In morbi initio remissionem aliquam vix senserunt ægri; συνόχοις enim quam maximè similes fuerunt; paucis tamen elapsis diebus, imperfecta succedebat crisis, & vel ad intermittentium, vel remittentium classem pertinere se ostendebant.

Urina ante crisin excreta plerumque flammea fuit, & sedimenti expers, nonnunquam turbida; crisi tamen finitâ, sedimentum ad lateritium inclinans deponebat, coloris autem pallidioris & ad flavedinem accedentis.

QUÆST. (4). Annon major villorum contractio & fluidorum inspissatio, in anno proximè elapso, ob extremam hyemis frigiditatem, in causâ sint, quod hujusmodi morbi acriores & frequentiores in illâ, quam hac tempestate evaderent? Et annon horum effectuum ratio a natura aeris, caloris, & frigoris satis patet?

Autumnus ſubſequens humidus fuit & frigidus, ſpirantibus frequenter ventis Septentrionalibus.

Graſſabantur adhuc morbi prædicti, & accedebant diarrhœæ quædam & dyſenteriæ febre lentâ conjunctæ, quæ ægros morbis deſcriptis laborantes malè afficiebant, ſpiritus proſtrabant, & morbi tædium augebant.

Hyems proximê ſubſequens acri gelu, & nive multâ circa medium comitata fuit, ſpirantibus ut plurimùm ventis, vel ex plagis Orientalibus, vel Septentrionalibus.

Durante gelidâ tempeſtate, iidem fere morbi apparuêre, ac in hyeme præcedenti, & manſerunt adhuc, licet non admodùm frequentes, συνεχῶς deſcriptæ.

Æſtiva tempeſtas anni 1718. calida fuit & ſicca, præcipuè in Julio & Auguſto, quæ aeris temperies per totum autumnum permanſit, ratione habitâ ad neceſſarias anni variationes; ſpirantibus ventis ex plagis Auſtralibus & Occidentalibus.

Hac æſtate erupit febris putrida, a græcis συνεχὸς dicta, ſymptomatibus mali moris comitata. Cùm autem ægrorum de hoc morbo numerus, anno ſubſequente plurimùm augebatur, deſcriptionem ejus ad eum remittam.

Graſſabantur adhuc febres remittentes,

paroxyſmis autem magis incertis, & ſymptomatibus acrioribus conjunctæ.

Æſtas anni 1719. non ſolùm omnes alias a me hactenùs obſervatas caliditate ſuperabat, ſed etiam, majorem, magiſque ſubitaneam in temperamento paſſa eſt variationem, quam in aliâ quâlibet obſervavi.

Duraverunt calores ab initio Menſis Maji uſque ad Julii medium, fuitque ſiccitas aeris magna. Parùm admodùm ſpirabant per totam hanc periodum venti, qui tamen apparebant, ex plagis auſtralibus veniebant; manente tum Thermometro ad gradum 17. His ita ſe habentibus, ſubitò accidebat ingens cœli variatio; ſpirabant enim fortitèr venti boreales, decidebant pluviæ quædam frigidæ, & 48. horarum ſpatio ſubſidebat ſpiritus uſque ad gradum 45, quæ longè maxima eſt variatio, quam in eodem temporis intervallo unquam novi.

Duravit hæc frigida aeris temperies vix ultra duas hebdomadas, & ſubitò redibat calor; qui per reliquam æſtatis partem & autumni initium perdurabat; & manebat aer calidus, ratione habitâ ad anni tempus, uſque ad initium Novembris; hyemſque tota ſolito ſiccior & calidior fuit.

Morbi, qui durante calore apparebant,

fuêre febres putridæ, & continuæ remittentes, hæmorrhagiæ largæ spontaneæ, sanguinis expuitiones, ejusdem vomitiones, aliique ejusmodi. Mutato autem cœli temperamento per frigoris accessionem, succedebant statim alvi fluores, vomitiones, intestinorum dolores, eorundem inflammationes, sanguinis per alvum excretiones, aliique ejusmodi. Quæ omnia, redeunte aere ad priorem caliditatem, brevi cessabant. Qui febribus supra numeratis hoc tempore laborabant, diarrhœis & torminibus multum vexabantur; ruebant enim humores, qui durante calore per sudorem fuerunt eliminati, summo cum impetu per alvum circa tempus criseos, & prostratis viribus perierunt ægri.

Cessante frigiditate, subitò redivit calida temperies & adauctis viribus grassabantur febris putrida & continuæ remittentes. Hoc autem notatu non est indignum, quod paulo ante crisin ad diarrhœas magis proni fuerùnt ægri, quam ante frigiditatis accessum; licet raró per has vias judicata fuit febris. (5).

Harum prior, viz. febris putrida, hoc anno primò se palàm faciebat, & more

QUÆST. (5). Annon subitanea frigiditatis accessio, fibras corporis, præcipuè cutaneas, constringendo, & humores ad partes interiores repellendo, ad effectum hunc producendum non parùm conduceret.

ſequenti ægros plerumque torquebat.

Acceſſit hæc febris cum rigore, nauſeâ, alterniſque frigoris & caloris reditibus. His conjunctæ fuerunt ingens laſſitudo totius corporis, & ſenſatio quaſi maximi ponderis humeros & dorſum comprimentis. His ſuccedebant ſitis & calor pungens, lingua arida & fuſca, nonnunquam nigra. Ægri his ſymptomatibus plurimùm excruciati, parùm dormiebant, non ſudabant, continùo ferè delirabant. Anxietate & inquietudine ſummâ vexati, perpetuò ſe per lecta commovebant. Circa diem duodecimum non paucis oborta eſt diarrhœa, vires proſternens, ſymptomata minimè allevans. Circa autem decimum ſextum, ab initio febris, diem, exorto ſudore judicata fuit febris. Pulſus plerùmque creberrimus fuit, raró fortis; cutis aſpera; urina rubra, & ſedimenti expers; judicatâ autem per diaphoreſin febre, ſedimentum fuſcum depoſuit.

Sanguis ex venis in initio morbi miſſus admodum rutilus fuit & diſſolutus, adeoque parte ſeroſâ commixtus fuit cruor, ut ſanguini ex arteriis miſſo non fuit abſimilis. (6).

QUÆST. (6). Annon fluor hic ſanguinis naturali major, ab actione particularum caloris, hoc in anno magis quam aliis vigentium, oriri poſſet?

Horum quidam ptyalismo per totum morbi decursum affecti sunt, qui omnes, quos ipse vidi, sanabantur, & reliqua symptomata aliis ægris mitiora habebant.

Hujusmodi symptomara robustos & exercitatos, præ cæteris, occupabant; qui vero laxi fuerunt temperamenti, imbecilles, hysterici, & cachectici, tremore, spasmis, & delirio affecti sunt; dum alii ob summam virium prostrationem, spirituumque dejectionem, quasi stupidi jacebant, urinas & stercora involuntariè emittentes; exsuscitati tamen delirabant. (7). In his, ultra vicesimum diem, plerumque protracta fuit febris, quæ in paucis quibusdam, sine crisi manifestâ terminata est, his autem admodum tarda accidit sanatio.

Variantibus hoc modo, in ægris diversis, symptomatibus, necessariò variationem subiit medela. Hæc autem observatu non prorsùs indigna videntur.

In ægris prioris generis, frigidiori regimine & largiori diluentium copiâ necessariò uti oportebat, quam in iis, qui iisdem symptomatibus aliis annis labora-

QUÆST. (7). Annon materiæ perspirabilis, majori copiâ hoc anno quam aliis, excretio, sanguinis & liquidi nervosi copiam ita diminueret, & indè in solidas corporis partes debilitatem induceret, ut in ægris hujusmodi hisce symptomatibus ansam præberet?

bant. Et etiam ubicunque alexipharmacorum usus necessariò postulabant ægrorum status, minor sufficiebat medicamenti dosis, quam vulgò exhiberi solet.

Pauci admodum ægri quamlibet opii vel dosin, vel medicamentum ex eo confectum sine delirii incremento sumere valebant. Diacodiata tamen, & anodyna mitiora, plenâ manu, largâque diluentium copiâ exhibita, summo fuerunt ægrotis emolumento. (8).

Præter febrem jam descriptam grassabantur febres continuæ remittentes, præcipuè circa autumni initium, paulò post quod tempus vel evanuit Συνοχὸς, vel in remittentes commutatus fuit. Quod postremum quidèm probabilius est; eo quod hæ febres iisdem symptomatibus in morbi ingressu ægros afficiebant, quibus febris putrida; quæ tamen paucis elapsis diebus, per vices, licèt irregulares, remittebant. Paroxysmi acriores ut plurimùm fuêre, quàm vulgò in remittentibus inveniuntur, & frequentèr delirio comitati. Paroxysmis rarissimè præcedebant rigor & frigus fe-

QUÆST. (8). Annon hic effectus ad majorem hanc sanguinis dissoluti non meritò tribuendus, quam opiata præ cæteris ferè omnibus promovent? Et annon indè patet, cur diacodiata, emulsiones, aliaque ejusmodi, quæ blandis & mucosi æquè ac soporiferis saturantur particulis, tanto essent ægris emolumento?

brile, etiam in iis ægris, quibus febris insultus certis rediit intervallis: Et quibus frigoris accessio quædam comitata fuit, brevi soluta est. Circa autem hyemis initium in febres intermittentes, frigore leni comitatas, conversæ sunt; redeuntibus tam per æstatem, quàm per hyemem, quotidie paroxysmis.

Hic annus majori maniacorum numero comitatus fuit, quam in annis communibus accidit, (9) aliosque omnes quos novi, tam in ægrorum numero, quam symptomatum sævitie, superavit.

Annos subsequens, viz. 1720. majori siccitate conjunctus fuit, quàm in hac insulâ communibus annis invenitur, caliditati tamen proximo elapso nequaquàm æqualis erat.

Febres hoc anno grassantes remittentes fuêre & intermittentes, ejusdem ferè generis, ac in anni prioris declinatione numeravimus. Per dies enim aliquos non remittebant, & delirabant ægri in paroxysmis. In his autem iis differre videbantur, quod certioribus temporis intervallis redierunt paroxysmi, & tertianæ plerumque

QUÆST. (9). Annon calor hujus anni major illo, qui huic insulæ familiaris est, humores attenuando, liquida lenia & aquosa exhalando, acrimoniam augendo, fibrasque corporis exsiccando, ad hunc effectum producendum non parum conduceret?

fuerunt febres. Durante etiam paroxyſmo de ventriculi angore, ægritudine, & nauſeâ magis conqueſti ſunt, & vomitione frequentiùs affecti ſunt, præſertim in initio paroxyſmi. Quæ ſymptomata duraverunt, quouſque ſudoris eruptio & iis, & paroxyſmo finem impoſuit.

Sitis & calor in hoc, quam anno proximè elapſo, mitiores fuêre; lingua primùm albeſcebat, dein fuſca evaſit. Paroxyſmi autem diù durabant, & ad horas quadraginta aliquando extenſi fuerunt.

Urina in remittentibus turbidior fuit, & flavedine majori tincta quam in anno præcedente; & ſedimentum copioſum, ſubalbidum, ad flavedinem autem accedens, depoſuit. In intermittentibus lateritium fuit ſedimentum (10). (11).

Præter has graſſabantur etiam febres quædam nervoſæ, vertigine, ſtupore, & nervorum tremoribus conjunctæ, eos, præ cæteris, occupantes, qui laxi, imbecillis,

QUÆST. (10). Annon ſtatus humorum corporis in hoc anno, febrem putridam ſuccedente, eorum ſtatui, in anno febri putridæ præcedenti, fuit quam ſimillimus?

QUÆST (11). Annon igitur ſiccitas & calor duorum annorum febri putridæ præcedentium, adeo humorum acrimoniam augerent, ut loco remittentium in ægris quibuſdam συνοχον producerent; eoque præcipuè, cùm eâdem ratione increvit calor & febris putrida, cùm ſummo durante calore maximè graſſabatur, & diminuto calore ſenſim evanuit?

& hysterici fuerunt temperamenti. Hæ febres pulsu celeri & debili, urinâ tenui, pallidâ & crudâ, & nonnunquam diarrhœâ conjunctæ sunt. Horum linguæ plerumque subalbidæ fuerunt, raro siccæ; neque multùm sitiebant ægri; sudoribus tamen partium quarundam singularium valdè fuerunt obnoxii, maximè circa capitis, cervicis, & thoracis regiones. In his duravit febris usque ad vicesimum diem, aliquando diutiùs, & exorto sudore per totum corpus, ut plurimùm, judicata est: In quibusdam tamen in intermittentes convertebantur. His plurimùm proficiebant epispastica, cardiaca, & diaphoretica. (12). (13). (14).

QUÆST. (12). Annon calor duorum annorum prægressorum, vasculorum perspirabilium ora nimis laxando, & humores colliquando, ad sudores hos partiales producendos, conduceret; eoque præcipuè, quod eas corporis partes, præ cæteris occupabant, quibus sanguinis impetus & fluiditas maximo gradu vigent?

QUÆST. (13). Annon etiam hinc patet ratio, cur hujusmodi febris multò frequentiores in æstate, quam hyeme inveniuntur? Et annon indoles febris in anno 1716. Cutis asperitate & siccitate, cruoris inflammatione, aliisque symptomatibus ejus anni diagnosticis, conjunctæ, ex frigiditate hyemis in 1715, aliquo gradu penderet?

QUÆST. (14). Annon, summum ab epispasticis oriens emolumentum in morbis hujusmodi inde producitur, quod sanguinem attenuando, vasa nimis depleta reficiunt, vi sua stimulatoria vasorum tunicas ita constringunt, ut conservetur inter solida & fluida æquilibrium, & inde liquidorum motum ferè amissum instaurant?

Annus ſubſequens, viz. 1721, admodum fuit humidus, frigidus, pluvioſus, præſertim in menſibus æſtivis, ſpirantibus ventis ex plagis borealibus. Hæc aeris temperies uſque ad initium Septembris duravit, ex quo, uſque ad Novembris initium, tepidum & placidum fuit cœlum; hyemſque tota lenis erat, & pauco gelu comitata.

Febres hoc anno graſſantes, etiamſi ad intermittentium claſſem pertinebant, ab iis anni prioris differebant; eo quod frigore majori & longiori, calore leniori & breviori comitatæ erant; Απυρεξια etiam perfectâ in paroxyſmorum intervallis fruebantur ægri & in paroxyſmis non delirabant; alvi tamen fluoribus magis erant proclives. Urina etiam rubedine majori tincta fuit, & ſedimentum lateritium depoſuit. (15).

Præter has apparebant febres quædam nervoſæ, virium collapſu, ſpirituum dejectione, ſtupore & ſurditate conjunctæ, iiſque anno præcedenti graſſantibus non abſimiles; niſi quod ægri parùm ſudabant, & raro criſi ullâ ſenſibili terminatæ ſunt hæ

QUÆST. (15). Annon major aeris humiditas & frigus, in hoc, quam anno præcedente, viſcoſitatem majorem minori acrimoniâ conjunctam, humoribus inducerent; & inde mutationes has in his febribus producerent?

febres, ſed poſt toleratum morbi decurſum diuturnum, ægri ſensìm convaleſcebant, & pauci perierunt (16).

In menſe Aprili graſſari incipiebant morbilli & per totum æſtatem permanebant. Moris plerùmque fuerunt maligni, tuſſi continuâ, ſpirandi difficultate & pulmonum inflammatione conjuncti.

Vernalis tempeſtas anni 1722, admodum fuit frigida, aquoſa, pluvioſa, variiſque ventis turbata, præcipuè tamen ab iis, qui ex plagis Septentrionalibus & Orientalibus proveniunt. Duravit hæc aeris conſtitutio uſque ad medium æſtatis, eo modo, ut totum æſtatis initium majori frigore fuit comitatum, quam vulgò in iſto anni tempore accidere ſolet. Morbi in hujus tempeſtatis initio graſſantes, fuere pleuritides quædam & anginæ, non admodum autem frequentes; præ cæteris tamen graſſabantur febres intermittentes tertianæ, inter quas apparebant quædam quartanæ, præſertìm in iis qui frequentèr in tertianis illapſi ſunt.

Non æquè felici ſucceſſu febres has jugulavit cortex peruvianus, in hoc anno,

QUÆST. (16). Annon abſentia ſudorum partiallium, ab iis aeris mutationibus pendere poſſet, quæ in quæſt. præcedente numerantur? Et etiam annon ex eadem causâ oriri poteſt, quod ſudoribus, ut in anno priori, hæ febres non æquè fuerunt judicatæ?

ut in aliis novi, ob alvi fluxus frequentes ejus usui supervenientes. Et cum nullum hujusmodi accidit impedimentum, medicamenti vires non raro elusit febris; Alexipharmacis tamen & diaphoreticis conjunctum feliciori successu exhibitum fuit pharmacum. (17).

Emetica & diaphoretica frequenter repetita, plurimis fuerunt ægris emolumento; quorum usu non pauci sanabantur, postquam medelæ methodos magis usitatas elusissent vires febris. (18).

Præter hos autem alvi fluxus febres intermittentes comitantes, a diarrhœis solis vexati sunt aliqui; Hæ tamen neque sanatu erant difficiles, nec quicquàm observatu dignum in symptomatibus habuerunt.

Intermittentes hunc & priorem annum comitantes, prout ante memoravi, tertiani plerumque fuerunt generis; circa autem hujus autumni finem, in quartanas non paucæ commutatæ sunt; quæ postquàm per

QUÆST. (17). Annon frigiditas & humiditas aeris, in hoc, quam priori anno majores, fibrarum tonum elasticum minuendo, humorum viscositatem augendo, & vasa infarciendo perspirabilia, in causis sint, quod febres remittentes anno priori descriptæ, in has intermittentes converterentur? Et annon hinc patet ratio, cur medicamenta calefacientia cum cortice exhibita, vires ejus augerent?

QUÆST. (18). Annon hujus ratio ex quæstione præcedente satis patet?

totam hyemem frequentibus morbi reditibus ægros excruciassent, vere sequenti prorsùs evanuêre, (19).

Quamvis autem morbi epidemici supra descripti præ cæteris omnibus grassabantur, sporadici tamen & intercurrentes non pauci apparebant, ut etiam ii, qui ab anni tempestatibus certo quodam modo pendent, & vernale & autumnale tempus comitantur; qui quidem omnes morbi, etiamsi ab epidemicis tum regnantibus in initio longe discrepantes videbantur, paucis tamen elapsis diebus, & præcipue præmissis generalibus evacuationibus, in epidemicos regnantes terminati sunt; & ratione habitâ ad symptomatum principalium varietatem, eodem modo sanabantur. Hoc autem præcipuè accidit duobus annis proximè elapsis, quibus grassabantur febres intermittentes tertianæ, quorum paroxysmi certioribus intervallis, quam in annis præcedentibus redierunt. Unde forsàn accidit, quod in his non solùm clariùs patebat hic morborum in se mutuò transitus; quinetiam, quod breviori temporis spatio, na-

QUÆST. (19). An febres intermittentes quartanæ ab aliis febribus intermittentibus naturâ & essentiâ sunt diversæ ut quidam hallucinati sunt? Et annon potius a majori humorum viscositate, vasorum infarctione, & torpidiore fibrarum vibratione petendæ sunt horum morborum differentiæ?

turam eorum latentem ita palam fecerunt; ut ad intermittentium classem certiùs reduci possent. (20).

Frequentes horum morborum reditus, multos, eosque pertinaces morbos, visceribus induxerunt, præcipuè inter plebem, ubi desiit vel cura morbi, vel medendi opportunitas. Hos præ cæteris morbis afficiebant hydrops, icterus, & phthisis, & præcipuè ista hydropis species, quam ascites nominamus, de quo morbo plures circa hoc tempus ægrotârunt, quam, in omnibus prægressis aeris temperamentis simul sumptis, novi.

Æstas proximè subsequens, viz. Anni 1723, admodùm fuit sicca, calore tamen siccitati proportionale nequaquam fuit comitata; Eo quod radii solares plerùmque nubibus fuerunt obducti, & aeris calor ventis Septentrionalibus, & Orientalibus, præcipuè tamèn posterioribus, erat refrigeratus.

Hæc aeris temperies per totum autumnum subsequentem, & hyemis initium, ratione habitâ ad necessarias tempestatum variationes pardurabat; adeò ut tota hæc

QUÆST. (20). Annon itaque grassante febre qualibet epidemicâ, symptomata aliarum febrium tunc temporis apparentium cum epidemico regnante diligentèr sunt comparanda, & quantum indolis epidemicæ in se habeant seriò perpendenda?

temperies

temperies, quasi temperamentum aeris Orientale, majori siccitate,& caliditate minori, quam vulgò accidit, conjunctum, meritò æstimari debet.

In tempestate vernali grassari incipiebant variolæ, & per totam æstatem duraverunt; confluentes plerumque fuerunt & moris maligni, & in nonnullis maculis purpureis comitatæ. Hæ, nil novi quod addam earum historiæ exhibuerunt, nisi quod notatu dignum sit, quod qui modico & spontaneo alvi fluore per totum morbi decursum afficiebantur, symptomatibus lenioribus, ut plurimùm, laborabant; Et ubicunque deficiebat hic alvi fluxus, medicamenta antiphlogistica alvum laxantia hujus defectum felici successu suppleverunt, & symptomatum maximè urgentium remissione fuerunt conjuncta.

Doloribus etiam pleuriticis & acerrimorum nephriticorum æmulis, ante pustularum eruptionem non pauci afficiebantur variolosi; Et sanguis ab ipso morbi initio non parùm fuit inflammatus, in quo morbi stadio, raró a statu naturali, sensibilis patet cruoris deviatio. (21).

QUÆST. (21). Annon ptyalismus, adeo in variolis confluentibus apprimè utilis, ut ad sanitatem recuperandam omninò necessarius a Sydenhamio æstimatur, effectus hos salutiferos, vasa sensìm deplendo, maximâ ex parte producit? Et annon ubi deficit naturalis

(2). (2).

Cæteri morbi hoc anno grassantes, fuêre pleuritides, anginæ, rheumatismi, aliique ejusmodi morbi partium quarundam inflammatione conjuncti. Multi etiam tussi perpetuâ, ex sero tenui, & acri obortâ vexabantur, quam expectorationis ope frustra ejicere conabantur. Phthisici etiam & asthmatici plurimùm hoc anno passi sunt, & perierunt in autumno multi; Augebantur enim admodùm tussis, febris hectica, aliaque ex his orientia symptomata; Præ cæteris autem sæviebat tussis, & ægros

hæc salivatio, medicamenta alvum laxantia, quæ voluntati nostræ certiùs subjiciuntur, hujus evacuationis defectum supplere possint, eoque præcipuè, cum vel nimis citò cessat, aut in stadio morbi a naturâ destinato, non apparet hæc evacuatio?

QUÆST. (22). Cùm ii hujus morbi furorem aliis felicius effugiant, qui circa faciem & cervicem paucioribus pustulis obsiti sunt, utcùnque in corporis trunco externisve membris numerosæ sint pustulæ; Annon in initio morbi multum conducerent, partium inferiorum balneationes tepidæ, epispasticorum cruribus applicatio, suppedalia stimulantia, aliaque ejusmodi; quorum ope magis implentur vasa inferiora, & vi stimulatoriâ major fit ad has partes derivatio?

QUÆST. (2.). Cùm resorptio puris in venas, vel ortum febri secondariæ præbet, vel saltem ejus sævitiem plurimùm adauget; Annon urgente morbi necessitate, pustulas aperire, & liberiorem materiæ purulentæ exitum conciliare, eosque abscessus more Chirurgico tractare conveniat. Quâ methodo non tantum diminuetur ipsa febris, quin etiam eæ corporis partes, quæ, præ cæteris, hujus morbi sævitiem patiuntur, citissimè levari possunt, tam a præsenti, quam futura per tot emunctoria, evacuatione materiæ?

hos vacillantes miserrimè torquebat.

Pulsus in morbis inflammatoriis creber fuit & durus, cutis tensa & rigida, & sanguis majori ratione inflammatus, quam in aliis annis frequenter accidit. Neque laborabat quisquis ex quocunque ferè morbo, præsertim si dolore vel minimo torquebatur æger, quin sanguis crustâ inflammatoriâ obductus fuit.

Ægri, præ cæteris omnibus, largâ sanguinis missione levabantur, neque aliam quamlibet medendi methodum felici successu coronatam, omisśâ sanguinis missione, observâsse memini.

Venter plerunque astrictus fuit, evacuationes autem per alvum non solùm ad sanationem parùm contulerunt, sed frequenter symptomatum sævitiem, præsertim in rheumatismis, augebant; diminutâ autem a sanguinis missione morbi violentiâ, ægris non parùm profuerunt.

Balneationes tepidæ, præmissis evacuationibus, plurimis fuerunt emolumento, præsertim rheumaticis: Quibus autem vel prorsùs defecerunt hujusmodi evacuationes, vel parcâ nimis manu applicatæ sunt, symptomatum sævitiem augebat balneatio; repetitis autem evacuationibus, sensìm decrescebant dolores, & ægris non pa-

rùm profuit. (24). (25).

Hic ſtatus fuit aeris & morborum eum comitantium, durante æſtate; accedente tamen in autumno frigore ſubitaneo, augebatur ægrorum numerus, & graſſabantur frequenter diarrhϾ, dyſenteriæ, & inteſtinorum inflammationes; quæ omnia ſine largâ ſanguinis miſſione non ſanabantur, & ratione habitâ ad partium affectarum differentiam, eidem methodo, ac morbi in æſtate deſcripti, ſe ſubjiciebant.

Duravit adhuc ſiccitas, & uſque ad medium Novembris porrecta eſt, circa quod tempus decidebant pluviæ largæ continuæ, & hydrargyrum quod durante ſiccitate altiſſimè perſtitit, duos circiter pollices deſcendit.

Hæc aeris variatio, etiamſi diù non permanſit, largiori ægrotantium numero ex morbis deſcriptis conjuncta fuit; præ cæteris autem graſſabantur pleuritides,

QUÆST. (24). Annon incrementum hoc doloris ex palneatione inde producitur, quod calore balnei augebatur ſanguinis impetus, ſolvebatur magis cruoris textura, & inde ſpatium magis amplum poſtulabat ſanguis?

QUÆST. (25). Annon itaque in horum morborum initio, præ cæteris omnibus, proſunt evacuationes, & parciori manu, ſaltem quouſque ſatis depleantur vaſa, adhibenda ſunt medicamenta ſanguinem attenuantia? quippe aucto dolore, augeri inflammationem neceſſe eſt.

ne-

rheumatiſmi, & dolores arthritici.

Pulſus creber fuit & durus, & ſanguis eo gradu inflammatus, quod cruſta inflammatoria cruoris ſuperficiei innatans, dimidiæ ejus quantitati haud rarò æqualis erat.

Hic major morborum inflammatoriorum numerus hoc tempore, quam æſtate præcedente, a ſubitaneâ fluidorum expanſione, & tenſiori fibrarum texturâ, non improbabiliter ortum duxit. Cùm enim fluida viſcoſitatem quandam inflammatoriam, a prædictâ aeris temperie acquiſiviſſent, ſolidæque corporis partes rigiditatem naturali majorem a ſiccitate induiſſent; diminutâ aeris incumbentis preſſurâ, in extrema capillarium vaſcula impetu ferri, ibique ob canalium anguſtias obſtructiones & inflammationes producere, neceſſe eſt. Quod quidèm a ſummo levamine ægrotis profluente ex ſanguinis miſſione, iiſque medendi methodis, quarum ope diminuebatur ſanguinis impetus, ſolvebatur viſcoſitas ejus inflammatoria, & laxiores fiebant vaſorum tunicæ, ulterius patet.

An autem his, vel aliis cujuſcunque generis cauſis tribuendi ſunt hi morbi, hic non contendam: Hoc autem pro certo ponam, ſanguinem non ſolùm majori ratione in hoc anno inflammatum fuiſſe,

quinetiam morbos cujuſcunque generis inflammatorios frequentiores, & acriores, quam in annis prioribus productos fuiſſe. (26). (27). (28). (29).

Redeunte poſt tres circiter hebdomadas ſicca aeris temperie, eodem ſtatu uſque ad æquinoctium vernale duravit cœlum, & graſſabantur morbi inflammatorii, præcipuè rheumatiſmi, numero tamen pauciores.

Circa æquinoctium autem aëris tempe-

QUÆST. (26). Annon partium ſolidarum major rigiditas, & fibrarum frequentiores vibrationes a ſiccitate productæ ſanguinis velocitatem augendo & canales coarctando, inflammatoriam hanc viſcoſitatem adeò epidemicam cruori inducerent; Eoque præcipuè, cum ſtatus hic ſanguinis morbos ferè omnes dolore conjunctos comitatur, cujus ope coarctantur vaſa, frequentiores fiunt villorum tremores, & velocitas ſanguinis major?

QUÆST. (27). Cum viris exercitatis, robuſtis, & ſenibus pejores ſunt variolæ, ob nimiam fibrarum rigiditatem & humorum acrimoniam; & è contrà, in puerulis, mulieribus, laxis, & imbecillibus plerùmque exitus ſunt felicioris; Annon conſtitutio hæc aeris inflammatoria vaſa coarctando, & humorum acrimoniam augendo, variolarum prædictarum ſævitiam plurimùm augeret?

QUÆST. (28). Annon itaque variolæ praxi inſitivâ productæ, pro varietate regnantis epidemici neceſſariò mutationes ſubeant, & lenioribus, vel acrioribus ſymptomatibus, hâc ex causâ erunt conjunctæ? Et ideo, an in omni aeris conſtitutione, annove quolibet, prophylaxeos gratiâ tentanda hæc methodus?

QUÆST. (29). Annon etiam balneationes tepidæ totius corporis frequenter repetitæ, victus humidus laxans & acrimoniam obtundens, diù ante inſitionem continuata, ad exitum felicem procurandum apprimè neceſſaria?

ries, communi more, inconſtans fuit & variabilis, imbribus & cœlo ſereno ſe mutuò per vices recipientibus. Apparebant hâc tempeſtate anginæ quædam & pleuritides, iis tamen in anno priori graſſantibus longè mitiores.

Æſtas anni 1724. frigida fuit & pluvioſa, permanentibus ventis plerùmque in plagis quibuſdam Septentrionalibus. Stetit Thermometrum ſolito inferius, ratione habitâ ad anni tempeſtatem; manſit enim ſpiritus plerùmque circa gradum 45, & rarò ultra 40 aſſurgebat.

Circa autumni medium placidum & ſerenum fuit cœlum, ſpirantibus ventis plerùmque ex plagis Auſtralibus & Occidentalibus; quæ cœli facies uſque ad hyemis initium duravit. Circa hoc tempus acre gelu inſecutum eſt, quod per hebdomadam duravit.

Hunc aeris ſtatum conſecuta eſt tempeſtas admodum humida, & pluvioſa, quæ uſque ad initium Januarii porrecta eſt; ſpirantibus fere perpetuò ventis ex plagis Septentrionalibus ideoque totus hic annus humidus, & frigidus meritò æſtimari debet.

Durante vere & æſtate tempeſtas ſaluberrima fuit, pauci apparuerunt morbi, iique boni moris; quæ aeris ſalubritas uſque

ad autumni finem porrecta est. Circa hoc tempus multi torminibus & alvi fluoribus laborabant, largæque nonnullis per alvum accidebant hæmorrhagiæ. Accedente autem gelu redibant rheumatismi, & multos occupabant.

Sanguis in rheumatismis, aliisque morbis inflammatoriis, non æquè hoc anno ac priori, inflammatus fuit, cruor, & medicamenta purgantia feliciùs votis respondebant. (30).

Cæteri morbi febriles, qui præter eos jam enumeratos apparuerunt, pauci fuerunt, frequenter autem diarrhœis erant comitati, & non raro per has vias judicati.

Hoc autem ex indole morborum in toto hoc anno apparentium summatim colligi potest; Quod evacuationes, quæ per alvum fiebant, non solum feliciùs voto respondebant, quinetiam quod minori medicamenti cathartici dosi solvebatur alvus. (31).

QUÆST. (30). Annon minor cruoris inflammatio in hoc anno, quo villorum tremores, ob majorem aeris humiditatem, necessariò torpidiores, quam in priori evaderent, Quæstionem (26) aliquo gradu stabilit?

QUÆST. (31). Annon aeris in hoc anno major humiditas, materiæ perspirabilis copiam diminuendo, in causa sit, quod impetu majori per alvum corruerent humores, & sæpius quam priori anno hoc modo judicatæ sint febres? Et annon ex eâdem causâ oriri possit, quod ad catharsin procurandam, minor quam in anno præcedenti, sufficiebat medicamentorum dosis?

Apparebant etiam hoc anno variolæ, pustulæ tamen plerùmque fuerunt discretæ paucæ, & moris benigni. (32).

Temperies aeris in Januario anni 1724. fuit tepida, placida, & serena, ratione habitâ ad anni tempestatem, spirantibus, ut plurimum, ventis ex plagis Australibus, & Occidentalibus; quæ aeris temperies, paucis exceptis diebus, usque ad Aprilis medium duravit.

Apparuerunt hoc tempore quædam pleuritides, & rheumatismi, pauci tamen alii febriles morbi. Sanguis in omnibus his inflammatus fuit, & pleuriticorum æmulus.

Circa medium Februarii apparebant febres quædam remittentes & intermittentes, majori sanguinis inflammatione conjunctæ, quam vulgo hos morbos comitatur; Fuit enim plerumque cruor, pleuriticorum more, pelliculâ inflammatoriâ obductus. Materiem etiam biliosam largâ copiâ, tam per vomitum, quam per alvum, summâ cum ægritudine ejiciebant ægri. Quæ ambo symptomata sanguinis missione præ cæteris levabantur remediis.

QUÆST. (32). Annon constitutio hæc aeris, indoles variolarum, & aliorum morborum hoc anno apparentium, cum iis anni prioris comparatæ, Quæstiones 27, 28, 29, aliquo saltem gradu probant?

Hi morbi συνοχῶν in initio ſpeciem præ ſe ferebant, paucis autem elapſis diebus, præcipuè poſt miſſionem ſanguinis, vel in συνεχεῖς, vel intermittentes converſi ſunt.

Quamvis autem hi morbi ad intermittentium claſſem meritò applicandi ſunt, proclivitas non levis iis ineſſe videbatur, ut in συνεχεῖς tranſirent: Eo quod, ſinguli paroxyſmi, etiam in iis qui perfectè intermittebant, citatiori pede & ſymptomatibus acrioribus, quam priores redibant.

Dum febres hæ fuerunt continuæ, urina rubra fuit, & ſedimenti expers; Cum autem in intermittentes convertebantur, ſedimentum ingens, majori rubedine quam vulgo videmus tinctum depoſuit.

Qui corticem peruvianum in initio morbi, etiam in intermittentibus, neglectis evacuationibus, & præ cæteris ſanguinis miſſione ſumpſerunt, ſymptomatum ſævitiem adauctam habebant; qui vero in remittentibus pharmacum hoc temerè ſumpſerunt, ſequenti paroxyſmo frequenter delirabant.

In initio menſis Martii, & circa ejus finem decidebant paululum nivis, & ſubſidebat Thermometrum hoc tempore decem circiter gradus, ſpirantibus ventis

Septentrionalibus & Orientalibus.

Circa hoc tempus grassabatur tussis pertinax convulsiva, præsertim inter infantes, & per totam æstatem subsequentem duravit.

Circa medium Aprilis Anni 1725, tempestas admodum frigida fuit & pluviosa, ratione habitâ ad anni tempus, eodemque modo, paucis exceptis diebus, per totam æstatem & autumnum, imo usque ad medium Decembris duravit, & hoc gradu longè majori, quam in quolibet annorum prædictorum.

Cùm autem circa hoc tempus egomet morbo gravi & diuturno correptus sum, qui per quatuor menses me ab hujusmodi observationibus detinuit, de morbis in hoc intervallo apparentibus nihil est quod deponam; nisi hoc observatu dignum judicetur, quod tota hæc æstas, non obstante summâ ejus humiditate, fuit prioribus salubrior. Et reverà tempestates humidas siccioribus plerumque salubriores inveni, exceptis circa humiditatis initium paucis hebdomadis, quæ tempestatem siccam immediatè secuti sunt. Quod quidem phænomenon, potius effectibus siccitatis prægressæ, & mutationibus in œconomia animali a variato aeris pondere, aliisque

ſimilibus cauſis brevi ceſſantibus, quam ad humiditatis præſentis actionem tribui videntur; eo quod manente humidâ aeris temperie, brevi diminutus eſt ægrorum numerus.

In autumno apparuit febricula, ægritudine, nauſeâ, & vomitu comitata, quibus ſuccedebant pruritus moleſtus & eruptiones quædam cutaneæ; elapsâ tamen hebdomadâ terminata eſt, & ſequebatur icterus, & in quibuſdam tumores pedum œdematoſi.

Circa hoc etiam tempus apparebant peripneumoniæ quædam, febre lentâ ſpirandi difficultate magnâ, pulmonum gravitate, alvi fluore, expectoratione difficili, pulſuque debili & inequali conjunctæ; Sanguis parùm fuit inflammatus, urina flaveſcebat, & parum ſedimenti depoſuit.

Hoc etiam notatu dignum eſt, quod ex quocunque morbo circa hoc tempus quiſquis laborabat, vertigine, torpore, ſomnolentiâ, capitis gravedine, & non raro aurium hebetudine, conqueſtus eſt æger. (33).

QUÆST. (33). Annon humiditas hujus tempeſtatis fibras corporis laxando, villorum tremores diminuendo, fluidaque incraſſando, ad hos effectus producendos conduceret?

Circa finem Septembris apparebant morbilli, moris autem benigni, & per totam hyemem duraverunt.

Incipiente Januario accidebat acre gelu, nive multâ conjunctum, & fuit tempestas admodum frigida & gelosa, stante tum Thermometro ad gradum 85. Durante gelu iidem fere morbi ac in hyeme 1715. apparuerunt, ut & circa ejus dissolutionem.

Fuit æstas hujus anni, prout ante notavi, non obstante summa ejus humiditate admodum salubris, ut etiam fuit hyems, pauci enim apparebant febriles morbi, exceptâ tantum tempestate gelosâ. Hoc autem per totum annum observare licebat, quod qui labe aliqua hypochondriacâ & melancholicâ affecti sunt, non solùm effectus diuturnæ hujus humiditatis senserunt, sed symptomata vere sequenti multùm adaucta habuerunt.

Dedi tibi, lector benevole, observationes, non stylo eleganti, sed fidâ mente descriptas. An autem in posterum eodem ordine sibi invicèm succedant morbi epidemici, non asseram. Desunt enim observationes, & manet successionum modus problema adhuc irresolubile, & forsan semper erit. Mihi autem in praxi uti-

les fuerunt hujuſmodi obſervationes, & tibi etiam forſan ſint emolumento, ſaltem ita futuras eſſe ſpero. Hoc tantùm rogo, quod quoſcunque errores tibi patefecerit maturior obſervatio, eos, non voluntati noſtræ, ſed judicii infirmitati tribuas, Vale.

IINIS.



CATALOGUS.

A

ALlen (Jean) Abregé de toute la Medecine pratique, où l'on trouve les ſentimens des plus habiles Médecins ſur les maladies, ſur leurs cauſes, & ſur leurs Remedes. Nouvelle édition augmentée conſidérablement ſur la Pratique Médicinale & Chirurgicale. 7 vol. in 12. *Paris*, 1741. 15 l.

Anatomie Chirurgicale, ou Deſcription Anatomique des Parties du Corps humain, par Jean Palfin : nouvelle édition augmentée. 2 vol. in 8. avec fig. *Paris*, 1734. 14 l.

--- En Abregé, ou Deſcription courte de toutes les Parties, par Noguez; 2. édition augmentée avec fig. in 12. *Paris*, 1726. 3 liv. 10. ſ.

Arbuthnot (Jean) Eſſai ſur la nature & le choix des Alimens, ſuivant les différentes conſtitutions, où l'on explique les différens effets, les avantages & les deſavantages de la nature animale & végetale, avec les regles ſur la diete. 2. vol. in 12. Trad. de l'Anglois. *Paris*, 1741.

Aſtruc (Jean) Mémoires pour l'Hiſtoire naturelle de la Province de Languedoc, avec cartes & fig. en taille douce. in 4. *Paris*, 1737. 12 l.

---- *Ejuſd.* De morbis Venereis Libi IX. in quibus diſſeritur, tum de origine, propagatione &

contagione horumce affectuum in genere; tum de ſingulorum natura, &c. cum brevi analyſi operum plerorumque quæ de eodem argumento ſcripta ſunt. Editio altera auctior & emendatior, in qua additæ ſunt duæ diſſertationes novæ. in 4. 2 vol. *Pariſiis*, 1740. 18 l.

---- *Le même Livre* des Maladies Vénériennes, traduit en François 3 vol. in 12. *Paris*, 1740. 7 liv. 10 ſ.

---- Lettres de M. Aſtruc contre les Chirurgiens, au nombre de cinq. *Brochure* in 4. 1738. 3 liv. 12 ſ.

B

B*Oerhaave* (Herm.) Aphoriſmi de cognoſcendis & curandis morbis in uſum doctrinæ domeſticæ digeſti. in 12. *Pariſiis*, 1728. 2 liv. 10 ſ.

---- *Ejuſd.* de Materiâ Medica, & Remediorum formulis quæ ſerviunt Aphoriſmis de cogn. & cur. morbis. in 12. *Pariſiis*, 1720. 2 liv.

---- *Ejuſd.* Inſtitutiones Medicæ in uſus annuæ exercitationis domeſticos digeſtæ. 6. edit. auctior. in 12. *Pariſiis*, 1735. 3 l. 10 ſ.

---- *Ejuſd.* Elementa Chemiæ, anniverſario labore docuit, in publicis, privatiſque ſcholis. Editio altera Leydenſi correctior, cui acceſſerunt Auctoris opuſcula omnia. in 4. 2 vol. cum fig. *Pariſiis*, 1733. 21 liv.

---- *Ejuſd.* Tractatus de viribus medicamentorum; editio noviſſima. Alterâ vice dedit, accuratiùs adhuc recenſuit, noviſque annotationibus & additamentis locupletiorem fecit Bened. Boudon, Doct. Med. in 12. *Pariſiis*, 1740. 3 l. 10 ſ.

Cheynæi

CHeynæi (Georg.) Tractatus de infirmorum ſanitate tuenda. Nova editio aucta, acceſſit Diſſert. de natura fibræ. in 12. *Paris*, 1741.

Chomel (Jean-Bapt.) Abregé de l'hiſtoire des plantes uſuelles, dans lequel on donne leurs noms différens tant François que latins. 5. édition, in 12. 3 vol. *Paris*, 1739. 6 liv.

Codex Medicamentarius, ſeu Pharmocopœa Pariſienſis in lucem edita. in 4. *Pariſiis*, 1732. 7 liv. 10 ſ.

D

DEventer (Henr.) Obſervations importantes ſur le manuel des accouchemens, où l'on trouve tout ce qui eſt néceſſaire pour les opérations qui les concernent, &c. traduit du Latin, & augmenté par Dablaincourt. in 4. avec fig. *Paris*, 1738. 9 liv.

Douglas, Opérations de la taille, traduit de l'Anglois par Noguez. in 12. avec fig. *Paris*, 1724. 2 liv.

F

Le F*Rançois*, Réfléxions critiques ſur la Médecine, où l'on examine ce qu'il y a de vrai ou de faux dans les jugemens que l'on porte de cet Art. 2 vol. in 12. *Paris*, 1723. 4 liv. 10 ſ.

---- *du même*. Projet de réformation de la Médecine. in 12. *Paris*, 1723. 2 liv. 5 ſ.

---- *du même*. Diſſertation contre l'uſage de ſoutenir des theſes en Médecine, avec un Mémoire pour la Réformation de la Médecine dans la ville de Paris. in 12. *Paris*, 1720. 2 liv.

Freind (Jo) Opera omnia Medica. Editio altera, Londinensi multò correctior & accuratior. in 4. *Paris.* 1735. 10 liv.

---- *Ejusd.* Emmenologia in qua fluxus muliebris menstrui phœnomena, periodi, vitia cum medendi methodo ad rationes mechanicas exiguntur, cum Prælect. Chimicis nova Editio aucta. in 12. *Paris*, 1727. 2 liv. 10 s.

G

GArengeot (Jac. Ren.) Traité des Opérations de Chirurgie, fondé sur la Mecanique des Organes de l'homme, & sur la théorie & la pratique. 3 vol. in 12. avec fig. *Paris*, 1741. 8 liv.

---- *du même.* Traité des instrumens de Chirurgie les plus utiles; seconde edition augmentée de figures en taille-douce, avec leurs explications. 2 vol. in 12. fig. *Paris*, 1727. 6 liv.

H

HEcquet, Traité de la peste, les moyens de s'en préserver & d'en guérir, le danger & l'abus des barraques & des infirmeries forcées. in 12. *Paris*, 1722. 2 liv.

--- Observations sur la saignée du pied & sur la purgation au commencement de la petite vérole, des fievres malignes, &c. Preuves de décadence dans la pratique de la Médecine, & raisons de doute contre l'inoculation. in 12. *Paris*, 1724. 3 liv. 10 s.

---- Réfléxions sur l'usage de l'opium, des Calmans & des Narcotiques, pour la guérison des maladies. in 12. *Paris*, 1726. 2 liv. 5 s.

---- Remarques sur l'abus des purgatifs & des amers

au commencement & à la fin des Maladies, & sur l'utilité de la saignée dans les Maladies des yeux, dans celles des vieillards, des femmes & des enfans. in 12. *Paris*, 1729. 2 liv. 10 s.

--- De la digestion & des Maladies de l'estomac, suivant le systême de la *Trituration*; nouvelle édition augmentée, avec les réponses à Mr. Astruc, Silva, &c. 2 vol. in 12. *Paris*, 1730. 7 l.

--- La Médecine Théologique ou la Médecine créée, sortie des mains de Dieu, & régie par ses loix, ouvrage où s'explique l'Higienne par les principes du Méchanisme : l'on a joint à la fin les theses de Médecine de l'Auteur. 2 vol. in 12. *Paris*, 1733. 6 l.

--- La Médecine naturelle, vûe dans la pathologie vivante dans l'usage des *Calmants*, & des differentes saignées. 2 vol. in 12. *Paris*, 1738. 5 l.

--- *Ejusd.* de purganda Medicina, ubi detecto evacuantium fuco, purgantium fraudes revelantur. in 12. *Paris*, 1714. 3 l.

--- *Ejusd.* Hippocratis Aphorismi, Gr. Lat. 2 vol. in 12. *Paris*, 1724. 6 l.

--- *Ejusd.* Novus Medicinæ conspectus, hoc est physiologia & pathologia, cum appendice de peste. 2 vol. in 12. *Paris*, 1722. 5 l.

L

LA *Motte* (Mauquest) Traité complet de Chirurgie, contenant des observations & des Réfléxions sur toutes les Maladies Chirurgicales, & sur la maniere de les traiter. 2. édit. augmentée. 4 vol. in 12. *Paris*, 1732. 10 l.

M

MAlouin, Traité de Chymie, contenant la maniere de préparer les Remèdes les plus

en uſage dans la pratique de la Médecine. in 12. *Paris*, 1734. 2 l. 5 ſ.

Martin, Traité de la Phlébotomie, de l'Artériotomie, recueilli des Auteurs anciens & modernes, avec des remarques critiques ſur les uns & ſur les autres. in 12. *Paris*, 1741. 2 liv. 10 ſ.

Morand, Traité de la taille au haut appareil, où l'on a joint la pratique de Douglas, Rouſſet, & Cheſelden. in 12. avec fig. *Paris*, 1728. 3 l. 10 ſ.

P

PAlfin (Jean) Anatomie Chirurgicale, ou deſcription des Parties du Corps humain, avec des remarques utiles aux Chirurgiens; nouvelle édition corrigée & augmentée par M. Boudon. L'on y a joint les obſervations anatomiques de Ruyſch & de Briſſeau. 2 vol. in 8. avec fig. *Paris*, 1734. 14 l.

---- du même. Nouvelle Oſtéologie, ou Deſcription exacte des os du Corps humain, accompagnée de Remarques Chirurgicales. in 12. avec fig. *Paris*, 1731. 2 l. 10 ſ.

Petit (J. Louis) Traité des Maladies des os, avec les machines & appareils qui ſervent à leur guériſon. 2 vol. in 12. *Paris*, 1736. 5 l.

V

VErtus Médecinales de l'eau commune, ou Recueil des meilleures pièces qui ont été écrites ſur cette matiere. 3e. édition, revûe & augmentée conſidérablement. 2 vol. in 12. *Paris*, 1730. 5 l.

F I N.





